




COMMENTATIO CRITICA

DE

PLATONIS QUAE FERUNTUR EPISTOLIS,

PRAECIPUE

TERTIA SEPTIMA ET OCTAVA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CHRISTOPHORI HENRICI DIDERICI BUYS BALLOT,

IN FACULTATE MATH. ET PHIL. NAT. PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

HERMANUS THOMAS KARSTEN,

Amisfurtensis.

D. IX FEBRUARII A. MDCCCLXIV, HORA I.



Trajecti ad Rhenum,

TYPIS MANDAVERUNT KEMINK ET FILIUS.

MDCCCLXIV.

PARENTIBUS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Quod illustrium antiquitatis scriptorum fere nemini, id Platoni evenit, ut ex eius scriptis, quae aequalium in manibus fuerunt, nullum, quantum compertum habemus, injuria temporum hominumve incuria interciderit; contra cum non paucis excellentibus philosophis et oratoribus commune habuit, quod eius nomine plura edita et divulgata sunt scripta, quae jam olim acutiorum criticorum judicio repudiata sunt. Causa rei fuit quod Platonis auditores vel lectores, sapientiae eius et orationis admiratione capti, eum scribendo imitari studuerunt et sua specimina magistri nomine insignita venditarunt. Horum nonnulla jam veterum criticorum aciem non fefellerunt, alia vero ad ultima Academiae tempora pro germanis Platonis monumentis habita sunt. In hac classe censentur Epistolae, quae a Thrasylo in Platonicorum operum catalogum receptae, jam a Cicerone, Plutarcho eorumque aequalibus pro sinceris habitae et studiose lectitatae sunt. Num mirandum

recentiores, postquam renascentibus literis Platonis scripta eruditorum manibus versari denuo coeperunt, in illorum auctoritate acquievisse? Neque tamen fraus latere usque potuit. Nostra et patrum nostrorum aetas, quae in sinceris a fictis et spuriis secernendis tanto studio tantaque cura elaborat, etiam hic falsarii manum odorata est. Res tamen nondum ita illustrata et in aperto posita, ut omnis dubitatio sublata sit. Itaque quum aliquamdiu in Platone legendo cum voluptate et studio essem versatus et ex hoc scriptore argumentum ad dissertationem conscribendam sumere destinassem, hortatu patris hanc materiam elegi in qua vires meas periclitarer. Suscepi opus, non tam ut alios docerem quam ut me ipsum exercerem, putans et ad judicium acuendum et ad Platonem intelligendum nihil fructuosius esse quam ut germana et sincera a falsis et spuriis distinguere discerem. Equidem non dubito quin multa in hoc meo opere sint peccata, multa quae abundent vel desint; si tamen operam et oleum non prorsus perdidisse videbor, erit quod me suscepti laboris, qui mihi nec levis nec injucundus fuit, non poeniteat.

Restat dulce officium, ut gratias agam et magistris et amicis ac sodalibus, quorum vel consuetudini vel institutioni plura debere me sentio quam verbis eloqui possum. Non est quod te compellem, optime pater. Ut tua in me merita, ita meus erga te animus publicam professionem nec requirunt nec admittunt. Pro hoc tamen non possum non palam tibi gratias agere, quod mihi non tantum auctor operis, sed etiam adjutor fuisti: quare si hoc specimen

non nimis rude et imperfectum videbitur, id non exigua pro parte tuis consiliis monitisque acceptum deberi gratus profiteor.

Vos autem, viri doctissimi et clarissimi, qui vel in Gymnasio Rhenotrajectino adolescentulum me literarum studiis formastis atque exemplo et institutione praeparastis ad illud munus quod jam ipse sum ingressus, vel qui juvenem in hac Academia multiplici disciplinarum cultu variisque studiorum curriculis ad altiora erudiistis, accipite sinceras animi gratias. Vos praecipue, viri clarissimi R o v e r s *et* O p z o o m e r, *quos per plures annos audire mihi contigit, alterum historiae et antiquitatum fontes aperientem, alterum veri anquirendi vias et mentis humanae processus explicantem, persuasum vobis habetote, me tam ob institutionem vestram quam ob comitatem et benevolentiam qua me amplexi estis ita vobis devinctum esse, ut, dum stadii Academici memoria in animo meo haerebit, vestra quoque nomina cara mihi sint futura.*

Vos denique, quos in Academia fidos expertus sum amicos, quibuscum seria et joca communia habui, valete et ita mei memores estote, ut ego vestri nunquam obliturus sum.

Scripsi A m s t e l o d a m i, m. Januario a. MDCCCLXIV.

CONSPECTUS.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.



CAPUT I.

CRITICORUM DE FIDE EPISTOLARUM OPINIONES.



Argumentum tractaturus, quod jam pridem eruditissimorum hominum industriam et vires exercuit, exordium faciam exponendo paucis, qui sit quaestionis status, ut unde nata et quo jam deducta sit cognoscatur.

Tredecim quae feruntur Platonis epistolae his titulis sunt inscriptae:

I. II. III. XIII.	Plato Dionysio.
IV.	Plato Dioni.
VII. VIII.	Plato Dionis familiaribus.
V.	Plato Perdiccae.
VI.	„ Hermiae, Erasto et Corisco.
X.	„ Aristodoro.
XI.	„ Laodamanti.
IX. XII.	Plato Archytae.

Epistolae hae ut primum in Italia vulgatae sunt et in eruditorum notitiam perlatae, maxima omnium admiratione sunt exceptae. Ficinus, Laurentius Mediceus eorumque familiares tam verborum et orationis ornatu quam praeclaris sententiis atque effatis arcanae quadam sapientiae specie involutis, quibus hae epistolae nitent, ita capti sunt, ut pulcerrimum eas haberent excellentis ingenii et sapientiae prope divinae opus, unde ad vitam publicam et domesticam, ad scientiam rerum tam divinarum quam humanarum saluberrimi fructus capi possent. [1])

Attamen jam inter veteres grammaticos fuisse qui ex epistolarum illarum numero unam alteramque eximerent, apparet ex antiquioribus codicibus, qui Epistolae XIII adscribunt *νοθεύεται*, eamque omisit in versione Latina Ficinus. Duo autem codices, Vindobonensis et Matritensis, etiam Epistolae XII subscriptum habent *ἀντιλέγεται ὡς οὐ Πλάτωνος*. [2]) Quam notam non video cur item ad priorem illam, XIII dico, transferendam putemus, ut Astio placuit (Plato's Leb. u. Schr. p. 527 not.): haec enim epistola ita comparata est, ut nemo qui illam respuat huic patrocinari queat. Ceterum ab isto inde tempore usque ad medium saeculum XVIII, Epistolae uno omnium doctorum consensu pro germanis Platonis operibus sunt habitae, excepta XIII, quam Aldobrandinus (ad Diog. Laërt. III, 61) et Cudworth (Syst. intellect. IV, 23) aliique non-

---

1) Vid. e. g. Ficinus in annot. ad Epist. II, in qua „mysteria" sibi invenisse videbatur „quae mirum in modum praecepta Euangelica comprobant."

2) Vid. Westermann, De Epistologr. Gr. Pars septima in Progr. Lips. 1854, quem ducem in his sequor.

nulli ob aliquod arcanae quod ibi legitur sapientiae effatum a Christiano homine confictam putarunt. Similem ob causam Menagio suspecta fuit Epistola VI. Hos redarguere aggressi sunt Bentleius et Wesselingius, quorum ille, qui Phalaridis, item Socraticorum epistolas commenticias esse ostendit, hanc quam modo nominavi ceterasque epistolas Platoni adscriptas, utpote gravissimorum auctorum, Ciceronis, Plutarchi, Laërtii et tot scriptorum veterum testimoniis munitas, germanos habendos esse Platonis fetus affirmare non dubitavit. [1])

Sed quum Socraticarum epistolarum fides semel esset convulsa simulque ostensum esset, totum illud scribendi genus a veteribus neglectum, post Alexandri Magni demum tempora studiosius tractari et in rhetorum ac sophistarum scholis usurpari coeptum esse, [2]) non mirandum, si Ciceronis auctoritas sufficere non potuit ad Platonicarum epistolarum fidem tuendam.

---

1) Wesselingius in Epist. ad Venemam, Traj. 1748. p. 36—46. Cf. Westermann ll. p. 5 et 6.

2) Id jam docuit Olearius, De scriptis Socratis contra Allatium schediasma (insertum in Stanleii Hist. phil. p. 198—209 et in Socrat. Epp. ed. Orell. p. 385 sqq.). Ejus verba (p. 403) haec sunt: „Verum, ut quod res est dicam, videntur mihi epistolae illae ex earum genere esse, quae aliquid cum μελέταις Sophistarum habentes cognationis, exercitii gratia ab iis exaratae, discipulis eorum exempli loco proponebantur. Sic Theophylactum Graecas quasdam epistolas commentum fuisse novimus. Tales sunt omnino Phalaridis Epistolae, tales Cleobuli, Pisistrati, Solonis et aliae quaedam apud Laërtium, ut prolixe ostendere possem, si ista hoc loco agerentur." Quae Astius hunc locum describens p. 505 adjicit: „Tales quoque existimo esse tum alias nonnullas Platoni inscriptas, tum quatuor illas quae in manuscripto Barocciano celebratissimae Bodleianae Bibliothecae olim a me Oxonii inventae fuerunt:" haec in Olearii Sched. edit. non leguntur.

Primum eas adortus est Meinersius (in Comm. Soc. Gött. 1782. vol. V. pag. 51), qui ut Pythagoreorum quae feruntur reliquias subditicias esse acute ostendit, idem judicium tulit cum de aliis nonnullis Socraticorum reliquiis tum de Platonis Epistolis, in quibus animadvertit plura inesse quae Platonis aetati, ingenio, sententiae non congruant. Hic omnes illas epistolas nulla excepta spurias habuit. 1)

Meinersii sententiam, magis ob opinionis novitatem et audaciam quam ob argumentorum pondus memorabilem, impugnarunt ejus aequales Tennemannus, Tiedemannus, Morgensternius, viri in vetere philosophia, praecipue in Platonis doctrina illustranda, cum laude versati.

Ex his acerrime Meinersio obstitit Tennemannus, Syst. der Plat. Phil. I. p. 106—111. Gesch. der Phil. VI. p. 451: qui contendit epistolas illas, si forte paucas excipias, tam verbis quam sententiis ita referre Platonis ingenium, ut habendae sint luculentissimum monumentum unde philosophi vitae institutum, docendi methodus atque interior doctrina cognoscatur. 2)

---

1) Verba ejus haec sunt: „Licet vero Ciceroni plurimum tribuam, aequum tamen non est ipsius auctoritatem plus quam veritatem apud me valere. Certissime enim mihi persuasum habeo, illum falsas Platonis epistolas non attentius legisse et examinasse quam fictas Zaleuci leges, quas etiam pro veris accipiebat."

2) Pag. 108: „Wer Platonische Schriften gelesen hat, wird auch hier seine Sprache Ausdrücke und Wendungen wiederfinden, so verschieden auch übrigens der Briefstyl sein mag. Es kommen so viele umständliche Nachrichten aus dem Privatleben des Dionysius, seinem Verhältnisse und Betragen gegen den Plato, seinem ganzen Charakter vor, und alles dies ist mit so vielen kleinen Umständen verwebt, dass Niemand anders als ein Mann, der Augenzeuge von dem Allen war, der Verfasser von denselben sein kann."

Tiedemannus et Morgensternius ceterarum fidem minus firmam habuerunt, earum praecipue in quibus arcana quaedam placita tanguntur, [1]) de Epistolae autem VII fide dubitari posse non crediderunt: „contra cujus γνωσιότητα, dicit Morgensternius, De Plat. Rep. p. 79, a nemine quod sciam ne unum quidem argumentum qualecumque adhuc prolatum est. Hoc dum fiat, exspectamus."

Etiam apud Francogallos Fréret his epistolis usus est tanquam primario fonte unde rerum et temporum ad Socratem, Platonem et aequales illorum pertinentium status cognoscatur. [2]) In eadem sententia fuit quondam Boeckhius, De Graec. trag. princ. (1808). p. 163, cujus judicio Epistolae III, VII et VIII a Platonis manu profectae esse putandae sunt. [3])

1) Tiedemann, Geist der Spec. Phil. (1791) II. p. 119, Epistolas II et VI spurias judicat. Morgenstern, Entwürf von Platon's Leben (1797) p. 61 not. loquens de arcana sapientia Platoni in epistolis his tributa dicit dubitanter: „Doch verdiente die Sache noch eine genauere Untersuchung."

2) Fréret, Mémoires de l'Acad. des Inscr. (1809) T. XLVII. p. 257 not. haec dicit: „Aucun des anciens n'a douté que les lettres de Platon ne fussent de ce philosophe; elles furent publiés par Hermodore son ami et son disciple, Cic. ad Att. XIII, 21. Thrasylle et le grammairien Aristophane, dans la distribution qu'ils avaient faite des ouvrages vrais et supposés qui portaient son nom, plaçaient ces lettres au rang des veritables. Denys d'Halicarnasse fait mention des lettres de Platon, De art. Demosth. p. 178 oper. vol. II; mais ce qui est décisif, c'est que Ciceron lui même, Tusc. V, 35, cite la lettre aux parents de Dion en ces termes: „Est praeclara epistola Platonis ad Dionis propinquos."

3) Cum Boeckhio consentit J. A. Grimm, De Epp. Plat. utrum genuinae sint an suppositiciae. Berol. 1815: qua dissertatione uti mihi non licuit, nec licuit item Westermanno; laudatur vero ab Hermanno, Gesch. der Plat. Phil. p. 591. not. 210.

Paucis vero annis post prodiit liber Astii, Platon's Leben und Schriften (1816), in quo sincera et germana Platonis scripta a commenticiis et falsis secernere instituit. Hic Epistolas omnes spurias judicavit; tantum abesse docuit ut vel Platonis ingenium et sententiam referant vel verum rerum auctorem et testem ostendant, ut potius ab ejus mente, sententia, dictione plurimum distent, tum multis partibus contineant ficta, insulsa, inepta: quae passim exemplis et argumentis declarare instituit. Hujus liber tantum habuit momenti, ut ab eo inde tempore magna facta sit opinionum mutatio. Plerique Platoni Epistolas abjudicare coeperunt, nec tamen omnem iis negarunt fidem, sed partem earum si non ab ipso Platone, certe ab aliquo ejus familiarium, ut Speusippo, conscriptam putarunt. In hac sententia fuit Socherus, Ueber Platons Schriften (1820), p. 376 sqq. qui Epistolas ad Dionysium, ad Dionem et ad Dionis familiares, h. e. I—IV, VII, VIII, XIII, Platonis discipulorum alicui tribuit, ceteras seriores ducit. In eandem sententiam abiit Salomon, De Platon. quae vulgo feruntur Epp. in Programm. Gymn. Berol. 1835. p. 16. [1])

Jam eo ventum erat ut epistolae illae subtiliore trutina examinatae in classes quasdam distribuerentur praestantiae gradu et vetustate dispares. Quod praeeunte Sochero facere instituerunt Salomon in disputatione modo laudata et Hermannus in opere: Gesch. u. Syst. der Platon. phil. p. 423 sq. [2]). Cuncti in hoc

1) Cf. censura hujus dissertationis in Berl. Jahrb. 1835, II. p. 452 sq. quam scripsit Boumann; et in Zeitsch. f. Alterth. Wiss. 1837, p. 274, auctore Hermanno.

2) Ante hos eandem quaestionem tractavit Wiegand, Epp. quae Plat.

consentiunt, primum locum tenere Epistolam VII, proxime huic accedere III et VIII; quas tres epistolas Platonis familiarium alicui tribuere non dubitat Salomon, Hermannus postremam eximit, quam a falsario concinnatam putat. In ceterarum fide et pretio aestimandis discrepant. Salomon Epistolas IV, IX, X anteponit Epistolis II, VI, XI, XII, XIII, quas pejoris notae aestimat; Hermannus contra Epp. II, V, VI meliore de luto esse judicat quam IX et X. Uterque eorum Epistolam I, Salomon etiam V non Platonis, sed Dionis nomine inscribendam censet; de quo infra.

Quod ad VII Epistolam attinet, haec ab Hermanno praedicatur illustre monumentum, in quo Platonis vita et ingenium vere sunt expressa. [1]) Causa cur eam tamen Platoni abjudicat, potius est quod scriptionem ipsius personae minus accommodatam, quam quod ingenio indignam censet. Non tamen satis perspicua aut firma argumenta attulit, cur, si Platonis personae epistola parum consentanea habeatur, alicui familiarium ejus tribuatur, aut si digna sint magistro oratio et argumentum, cur non ipsi potius quam discipulo adscribatur. Porro autem, si haec epistola Platoni vindicatur, reliquarum nonnullae certe non tantum ab illa distant quantum nothi et spurii fratres a germano. Quare non mirandum foret, si illius argumenta multos impellerent

---

nomine vulgo feruntur, Spec. crit. Gissae 1828. Hoc tamen opusculo mihi uti non licuit, nec magis altera Hermanni scriptione, Ueber Platon's Schriftstell. Motive. Epistolam II diligenter examinavit Wiegand, Symb Crit. in Plat. Ep. II. Wormat. 1854.

1) Appellat eam „ein authentisches Document für Plato's äussere und innere Lebensgeschichte." p. 424.

ut ad Morgensternii sententiam redirent atque tota quaestio in eundem fere revolveretur statum quo ante Meinersium fuit. [1])

Ecce vero nuper exortus est vir illustris, qui labefactatam Epistolarum fidem restituere est conatus.

---

1) Lubet hic apponere nonnulla VV. DD. judicia, qui strictim de Platonis Epistolis sententiam dixerunt.

Niebühr, Röm. Gesch. (1827) I. p. 18. ob historicas rationes Epist. VII spuriam habet; quamquam quod ibi affert argumentum, de vocabulo 'Ιταλία post Alexandrum demum hoc sensu usurpato, falsum est, ut docuit Hermannus, System d. Plat. phil. p. 591. n°. 213.

Brandis, Diatr. de deperd. Arist. libr. de ideis. Bonn. 1823. p. 2: „qui ad mysteria scholae (Platonis) provocant, testimoniis nituntur ipsius Platonis aut minus intellectis aut depromtis ex Epistolis Platoni falso adscriptis." Idem arbitratur Trendelenburg, Plat. de Ideis. Lips. 1826. princ.

Stallbaum, Prooem. ad Plat. Remp. (1827) p. LXIV: „Erunt qui hujus (VII) Epistolae fidem malis suspicionibus labefactare studeant. Mihi, si ulla earum Epistolarum quae vulgo Platoni tribuuntur germana est, haec certe philosopho non indigna videtur."

H. Ritter, Gesch. d. Phil. (1830) II. p. 156. De Platonis itineribus in Siciliam loquens dicit: „Diese Erzählungen haben eine sehr unsichere Beglaubigung an dem Briefwechsel, welcher zwischen dem Platon, dem jüngern Dionysios, dem Dion und einigen ihrer Freunde soll stattgefunden haben; denn aus dieser Quelle allein sind die Nachrichten der Späteren geflossen (in hoc virum doctum errare infra ostendam). Nun ist es nicht zu bezweifeln, dass alle die noch vorhandenen Briefe unecht sind. Doch sind sie zur Vertheidigung des Platon geschrieben und mogen sich daher wohl zum Theil auf Thatsachen stützen."

Hase, Journal des Savants, 1836, p. 478, ita judicat: „il est reconnu aujourdhui que les lettres nommées Socratiques, celle que l'on attribue à Phalaris, à Diogène le Cynique, à Brutus, à plusieurs autres hommes célèbres antérieur à l'ère vulgaire sont toutes supposées. Les lettres qui existent sous le nom de Platon ont été probablement composées peu de temps après sa mort par quelque philosophe de son école."

E nostratibus nominandi Wyttenbachius ad Phaedon. p. 108 (1810). De Phaedone, dicit, „antiquissimum est testimonium ipsius Platonis in

Groteus in Historia Graeciae, ubi Dionysii et Platonis res narrat, Epistolas cunctas, prima tantum excepta, a Platonis manu profectas esse contendit, easque optimum habet fontem ad illorum res cognoscendas. [1]) Argumenta ab Astio prolata ad earum fidem labefactandam non tanti ponderis aestimat, ut Ciceronis et Plutarchi auctoritatem elevent; quod ad orationem attinet, iniquum putat epistolarum stilum dialogis metiri. De ipsis tamen epistolis, sive dictio sive argumentum spectetur, parum honorifice existimat. In consuetudine et commercio cum Dionysio Platonem saepe imprudenter, imo fatue agere judicat; interdum memoriae culpae lapsum opinatur; dictio autem ei videtur affectata, fucata, inconcinna. [2]) Defensio ejusmodi est ut Groteus ipse, si esset Platonis loco, tale patrocinium, opinor, repudiaret.

Non est meum pugnare contra viros doctrinae aeque

Ep. XIII ad Dionysium, p. 728 (336 A.). Hanc enim tam germanam esse quam ceteras Platonis epistolas persuadet nobis P. Wesselingius in Epist. ad Venemam."

Van Heusde, Init. Phil. Plat. (1831). vol. II. pars I. p. 127. „Non quaerimus hoc loco de Epistolae (II) auctoritate;... sive cui germana videatur sive suppositicia, id nemo dubitat, quin Platonicum plane virum auctorem habeat." cf. p. 121 et 128.

Denique Cobetus Var. Lect. p. 235 de Ep. VII nuper hoc tulit judicium: „Platonis ipsius esse hanc epistolam et argumentum et stilus clamant."

1) Grote, Hist. of Greece, vol. XI. p. 75. Credo, si scriptores deperditi de illis temporibus superstites nobis essent, Groteum aliter fuisse opinaturum.

2) En ipsius verba. Reprobata Astii sententia haec addit, vol. X. p. 435 not.: „the proper conclusion from his (Ast's) premises appears to me to be, that Plato wrote letters which, when tried by our canons about letterwriting, seem awkward, pedantic and in a bad taste."

ac judicii laude claros, tales praesertim, quos benevolos potius judices quam adversarios mihi opto. Res tamen postulat ut quod sentio dicam. Mihi diligenter examinatis his epistolis et perpensis quae Ast, Salomon, Wiegand, Hermann, ceteri animadverterunt [1]), liquere visum est, eas omnes et argumento et oratione ita comparatas esse, ut nec Platonem nec Speusippum nec unum e familiaribus Platonis auctorem referant, sed aliquem vel potius aliquos ex imitatorum grege, qui centum pluribusve annis post vixerint: homines *φιλοπλάτωνας*, qui lectione ejus imbuti, in historia modice versati, in philosophia parum, e Platonis scriniis haec specimina concinnaverint. Illarum autem ut optimam ita antiquissimam esse Epistolam VII, ex hac ceteras plerasque a serioribus esse procusas.

Quibus argumentis haec mea opinio nitatur, sequens disputatio explicabit.

---

1) Ex his Ast omnes Epistolas ordine et carptim, Salomon data opera VII et VIII, Tiedemann et Wiegand II, Hermann (libr. laud. p. 502 nott. 216, 220) praecipue VIII in examen vocarunt.

CAPUT II.

DE EPISTOLARUM VETUSTATE EARUMQUE INTER SE TAM DISCREPANTIA QUAM CONJUNCTIONE.



Diogenes Laërtius in Vita Platonis III. § 56 sqq. memorat, e veterum grammaticorum testimonio Platonem dialogos suos edidisse descriptos *κατὰ τριλογίαν* vel *κατὰ τετραλογίαν*. Inter eos qui in trilogias diviserunt nominat Aristophanem Byzantinum (§ 61). Verba ejus haec sunt: *Ἔνιοι δὲ, ὧν ἐστὶ καὶ Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς, εἰς τριλογίας ἕλκουσι τοὺς διαλόγους, καὶ πρώτην μὲν τιθέασιν, ἧς ἡγεῖται Πολιτεία, Τίμαιος, Κριτίας, ... πέμπτην Κρίτων, Φαίδων, Ἐπιστολαί· τὰ δ' ἄλλα καθ' ἓν καὶ ἀτάκτως*. Ex hoc loco colligi posse videtur Aristophanem Epistolas quoque inter Platonis scripta recensuisse. Ambigitur tamen, utrum illud *ὧν ἐστὶ καὶ Ἀριστοφάνης* referendum sit tantum ad proximum *εἰς τριλογίας ἕλκουσι τ. δ.*, an pertineat etiam ad descriptionem quam deinceps subjungit, *καὶ πρώτην μ. τιθέασι κτέ.* Si Diogenes accurate locutus est, ad utrumque referri

oportet: cur enim, postquam nominatim Aristophanem citavit inter eos qui dialogos in trilogias diviserunt, in memoranda ipsa divisione alium auctorem sequeretur? Tamen pro negligentia qua ille excerpsit, fieri potest ut diversa miscuerit, uti opinatur Sückow (Wissensch. Form d. Platon. Schr. p. 165 sq.), ideo praesertim, quod in tota illa descriptione diversi argumenti scripta ita consociata sunt, ut docti grammatici judicium haud facile agnoscas. Nam qua ratione inter se cohaerent, quam quintam trilogiam facit, Κρίτων, Φαίδων, Ἐπιστολαί? Res incerta est. Attamen etiamsi haec divisio non fuerit Aristophanis, illud probabiliter statui posse credo, Aristophanem Epistolas in catalogum recepisse; si omisisset, dubitari vix potest quin ab aliquo certe recentiorum inter νοθευομένους λόγους numeratae fuissent. Atqui et a Cicerone et a Thrasyllo et a Dionysio Halicarnassensi (De vi dicendi Demosth. p. 1027) ceterisque qui earum mentionem fecerunt, pro genuinis habitae sunt. Ceterum quot epistolae lectae fuerint ab Aristophane aut ad quos scriptae, non additur. In tetralogias autem divisit Thrasyllus, quarum nonam sive ultimam secundum Laërtium efficiebant haec scripta: Μίνως, Νόμοι, Ἐπινομίς, Ἐπιστολαί. Tum Epistolas enumerat his verbis: Ἐπιστολαὶ τρισκαίδεκα, ἠθικαὶ, ἐν αἷς ἔγραψεν εὖ πράττειν.... πρὸς Ἀριστόδημον μία, πρὸς Ἀρχύταν δύο, πρὸς Διονύσιον τέτταρες, πρὸς Ἑρμείαν καὶ Ἔραστον καὶ Κορίσκον μία, πρὸς Λεωδάμαντα μία, πρὸς Δίωνα μία, πρὸς Περδίκκαν μία, πρὸς τοὺς Δίωνος οἰκείους δύο.

Hunc Laërtii indicem si cum vulgata Epistolarum sylloge comparamus, videmus ambo duabus in rebus paulum discrepare. Primum in hoc, quod Laërtius citat

Epistolam πρὸς Ἀριστόδημον, pro quo codices habent Ἀριστόδωρον. Notum est veteres nomina propria saepe contracta aut omissa terminatione scribere solitos fuisse, inde magnam nominum similiter incipientium ortam esse confusionem [1]): quare probabile est hanc quoque amborum nominum permutationem librariorum compendio deberi. Uter autem titulus praeferendus sit, haud facile dijudicari potest; opinor tamen potius cum codicibus scribendum esse πρὸς Ἀριστόδωρον, quum hujus quoque nomen praefixum sit in Io. Damasceni, Parall. in Stobaei Floril. Append. IV, p. 19 Gaisford.

Altera differentia in hoc posita est, quod Laërtius numerat quatuor Epistolas πρὸς Διονύσιον, pleraeque autem editiones inde a Ficino et edit. Basil. 1. unam harum, primam, non Platoni, sed Dioni ascribunt. [2]) Huic vero obstat codicum auctoritas, qui tantum non omnes, in his Parisinus Δ et septem Florentini, inscriptum habent: Πλάτων Διονυσίῳ εὖ πράττειν. [3]) Eandem inscriptionem Diogenem et Thrasyllum in suis libris legisse non est quod dubitemus. Neque vero idonea erat causa cur editores titulum mutarent. Nam quod aiunt epistolae huius argumentum Platonis personae et rebus non esse accommodatum, at non magis congruit, imo minus etiam, Dionis personae, quod infra ostendam. Itaque argumentum

1) Vid. Cobet, Var. Lectt. p. 271.

2) Id pro vero certoque habuit Tennemann, Syst. der Plat. phil. I. p. 107. „Es ist aber zu bemerken dass Diogenes den ersten unter den noch vorhandenen, wie billig, nicht mit unter den Platonischen rechnet, weil er den Dio zum Verfasser hat.“ Secutus est in hoc Wesselingium Epist. ad Venemam, p. 42.

3) Vid. Stallbaum ed. Plat. opp. Gr. Var. lectt. Tom. XII. p. 467.



epistolae tantum probat, scriptorem qui eam composuit inepte et inscite finxisse: quare restituendus est codicum titulus: Πλάτων Διονυσίῳ εὖ πράττειν. [1])

Non maiore iure Dionis nomen pro Platone substituit Ficinus in Ep. V, quem tamen plures secuti sunt, reclamantibus codicibus et sine ratione: nam quod Plato ibi de se ipso in tertia (ut aiunt) persona loquitur, id, si verborum ordinem et seriem spectas, eo loco nihil habet offensionis. Praeterea est Ciceronis locus in Epp. ad Div. I, 9 § 18, ubi haec epistola ut a Platone scripta citari videtur.

Denique sunt quibus Epistola VIII, ad Dionis propinquos missa, pars esse VII[ae] et huic annectenda videtur: quam opinionem falsam esse infra ostendam; nunc animadvertisse sufficiat id repugnare Thrasylli notitiae, secundum quem non una, sed duae fuere Epistolae πρὸς τοὺς Δίωνος οἰκείους.

Ex his igitur effici potest, Epistolas quae hodieque Platonis nomine exstant easdem esse quas novit Thrasyllus, Tiberii aequalis [2]); ceteras quae Platonis nomine inscriptae in Socraticorum Epistolis feruntur, illi incognitas fuisse. Unde apparet errare eos qui harum Epp. nonnullas a Christiano homine confictas esse opinantur.

---

1) Eo corruit Boeckhii opinio in Platon. Min. p 43, qui hujus epistolae loco inserendam putabat unam e Socraticis, XXIV. Item illorum qui Epistolam XIII *ad Dionysium* in duas epistolas vellent dividi, ut placuit Wesselingio, Tennemanno, Astio (p. 529 sq.). Argumentum quo horum opinio nititur, quod nempe Plutarchus in extrema Epistola scripta esse memorat quae nunc in media leguntur, id acute diluit Hermann, libr. laud. p. 591. not. 214.

2) De hoc vid. Jonsius, De script. hist. phil. III, c. 3, 18; imprimis vero Sückow, Die wiss. u. kunstl. Form der Plat. Schr. p. 167—175.

Eodem syntagmate usi esse videntur Plutarchus, Aelius Aristides, Lucianus, Albinus,[1]) Origenes, ceteri saeculi II et III scriptores, a quibus diversae Epistolae passim citantur.[2]) His vero antiquior testis est Cicero, a quo Epp. V, VII et IX laudantur. Cujus testimonium si per se non tanti est ut ipsi Platoni attribuantur (cf. Wiegand pag. extr.), at Cicero id accepit ab aequalibus et majoribus, Academiae sodalibus, unde efficitur ab his quoque Epistolas vulgo pro Platonicis habitas esse. Horum autem aetas quum non tam longe ab Alexandrinorum grammaticorum temporibus remota sit, jam eo deducimur ut probabiliter statuere liceat, easdem epistolas, si non omnes, certe praecipuas, jam ab Aristophane grammatico tritas et in operum Platonis catalogum receptas fuisse.

Jam si epistolas inter se comparamus, nemini dubium videri potest, de quo omnes consentiunt, Epistolam VII, ad Dionis propinquos scriptam, amplitudine, gravitate, rerum copia, dictionis ornatu, ceteris omnibus praestare. Est haec epistola quasi apologia, qua Platonis vitae institutum et ratio, consilia itinerum quae in Italiam et Siciliam suscepit, necessitudo et commercium quae ei cum Dione et Dionysio fuerunt, exponuntur et ab aliorum reprehensionibus vindicantur; praeterea multa inseruntur, quae ad Platonis consilia politica, docendi methodum, interiorem philosophiam spectant.

---

1) Albini superest libellus: Εἰςαγωγὴ εἰς τοὺς Πλάτωνος διαλόγους, de quo vid. Sückow ll. p. 8 sqq. et p. 169.

2) Cf. Hermann p. 592, not. 220. Scriptores hos diligenter recenset Westermann, ll. p. 3, 4; commisit autem levem errorem, quum apud Plutarchum Dion. c. 54 Epistolam VI citari scripsit; quae ibi narrantur leguntur in Ep. VII.

Cum illa epistola ceterae si conferuntur, earum pleraeque, etsi argumento et colore plus minusve discrepant, cum illa tamen tantam habent convenientiam et conjunctionem, ut ex ea quasi pendeant. In omnibus his tractantur res quae in illa aut levius aut accuratius tanguntur; in omnibus fere idem sensus, eadem ratio ac voluntas; dictio quoque multis partibus similis. Unde non injuria effici posse mihi videtur, Epistolam VII ceteris exemplo fuisse; hinc ut e fonte rivulos reliquas enatas esse, easque non ab uno quidem fabro, at ex una tamen officina esse profectas Res postulat ut id paucis explicemus.

Epistolae VII argumento proximae sunt III et VIII. Harum III[a] maxime convenit cum ea parte VII[ae] quae in itineribus enarrandis versatur: uti haec apologiam continet ad Dionis propinquos, sic illa est apologia ad Dionysium, qua Plato ab illius criminationibus se purgat, itineris utriusque Syracusas suscepti rationes et eventus exponendo. Tanta est autem argumenti et orationis similitudo, ut quisque statim agnoscat alteram ex altera magna pro parte decerptam et expressam esse. Comparentur modo inter se hi loci:

Ep. III.	p. 316 C-317 E	cum Ep. VII.	p. 338 -340
	p. 317 E-318 E	„ „	p. 345 C-347 E.
	p. 319 sqq.	„ „	p. 348 C-350

Epistola autem VIII, quam perperam nonnulli cum VII conjungendam putarunt, huic affinis est eo, quod consilia in priore epistola Dionis amicis data p. 336 B—337 E, in hac latius et ornatius exponuntur.

Itaque tres hae epistolae ut argumento ita dictionis colore adeo similes sunt, ut ab uno auctore possint esse

profectae [1]); probabilius tamen tam ob hanc ipsam similitudinem quam ob discrepantiam nonnullarum partium, eas diversis opificibus esse tribuendas aetate non multum distantibus, quorum posteriores primam epistolam (VII) supplere et amplificare sibi proposuerint.

E reliquis primum in censum veniunt Epistolae I, II, XIII et IV, quarum tres priores inscriptae sunt ad Dionysium, ultima ad Dionem.

Harum Epistola II forma, colore et argumento proxime, etsi haud parvo intervallo, accedit ad VII. Nam ut III, VII et VIII, ita haec quoque longior est, et stilus earum tantum distat ab epistolari scribendi ratione, ut in eas omnes quadret id quod Dionysius Halicarnassensis dicit (De vi dic. Demosth. p. 1027), Platonis epistolas potius appellandas esse δημηγορίας quam epistolas: omnes scriptae sunt non ut a familiari ad familiarem, sed veluti destinatae ut in publicum ederentur. Argumentum autem Epistolae II si spectes, tale est ut prorsus e VII profluxerit. Quae in hac dicuntur de profectione in aulam Dionysii, de invidia aulicorum, tum de Dionysii philosophiae studio deque libellis ab eo de philosophia vel de rebus politicis editis, de natura τῆς ἐπιστήμης, de philosophiae placitis celandis nec literis mandandis aut divulgandis, cetera, ea omnia in Epistola II partim brevius tanguntur, partim copiosius contexuntur. Ceterum rerum ordinem et stilum si attendas, est revera farrago discordium rerum, et quae de philosophia dicun-

1) Ita putarunt Boeckh, Grimm et Salomon, qui Epp. VII et VIII eidem tribuunt auctori. Cf. Herm. p. 592. not. 215.

tur, ea, ut verbis utar Tiedemanni, „de industria videntur tanta verborum obscuritate esse involuta, ut vix Oedipus verum scriptoris sensum inde possit elicere." [1])

At sunt item in Epistola II quae a VII haud parum discrepant. Scriptor quum id maxime Dionysio praecipere velit, *πῶς δεῖ πρὸς ἀλλήλους ἡμᾶς ἔχειν* (p. 310 D, 312 B, 313 C), ostendit talem esse decere ipsorum consuetudinem, nihil ut in ea reprehendendum habeat posteritas. Itaque remotis suspicionibus quibusdam, quae per calumniatores inter ipsum et Dionysium intercessissent ac mutuae benevolentiae obesse viderentur, in reliqua epistola nulla amplius simultatis vestigia apparent; laudat contra Dionysii studium sapientiae eumque ut amicus amicum impellit et hortatur ad philosophiam. Haec nequaquam quadrant cum Epistola VII, in qua non nisi cum contemtu de Dionysii studiis loquitur et talem erga tyrannum ostendit animum, ut non probabile sit ullum amplius inter eos esse potuisse epistolarum commercium. Quomodo ab uno homine tam discrepantia scribi, immo fingi potuerunt? praesertim quum ambae epistolae non, ut Wiegand opinatur, diversis temporibus, [2]) sed circa

---

1) Vid. Plat. dialog. argum. p. ult. Laudat haec Wiegand, Symb. Crit. in Plat. Ep. II. p. 16.

2) Wiegand ll. p. 4. Notetur hic in transitu error Wiegandii: p. 6 affirmat verba quae leguntur p. 310 B, *τοῦ φλαῦρόν τι λέγειν ἢ ποιεῖν περὶ σοῦ* „consensu totius antiquitatis" referenda esse ad Dionysium majorem, non ad illius filium, ut fit in Epistola; citat autem Diog. L. III, 21. Atqui apud Plutarch. Dion. c. 16, Dionysius non pater, sed filius, Platonem a secundo itinere reversum orat *ἡσυχίαν ἄγειν καὶ μηδὲν νεωτερίζειν μηδὲ βλασφημεῖν κατ' αὐτοῦ πρὸς τοὺς Ἕλληνας.* Hoc ut credamus, praeter Plutarchi et Epistolae auctoritatem suadet nobis utriusque Dionysii indoles, nec minus Laërtii negligentia in referendis Platonis itineribus.

idem tempus scriptae fingantur, nempe post discessum Platonis ab altera profectione ad Dionysium minorem. Quod apparet ex eo, quod initio epistolae mentio fit de congressu Platonis cum Dione eiusque familiaribus ludis Olympiis habito, quem congressum locum habuisse post reditum Platonis ab ultimo itinere ostendit Epistola VII, p. 350 B. Ergo ambae hae epistolae eodem tempore scriptae finguntur, nisi dicamus Epistolae II auctorem gravi temporum ignorantia lapsum esse. Praeterea initium Ep. II: *οὗτος δὲ ὁ λόγος σημαίνει, ὅτι οὐκ ἄρχω τῶν ἐμῶν ἐπιτηδείων* (np. *Δίωνος*), expressum est ex Ep. VII, p. 347 B C, ubi Plato Dionysio dicit, conditiones propositas de partienda Dionis re familiari sibi placere, velle tamen prius Dionem per literas consuli: *ἀξιῶ μὴν μὴ κύριον ἡγεῖσθαί σε Δίωνος ἐμέ.* Hoc quidem loco id apte dictum est, sed in altera epistola inepte, ut imitatorem agnoscas. Item alter locus p. 310 E, ubi de Dionysio dicitur: *πέφυκε ξυνιέναι εἰς ταὐτὸ φρόνησίς τε καὶ δύναμις μεγάλη*, effictus est ex VII, p. 335 D, ubi idem ille dicitur *μεγίστην δύναμιν ἔχων, ἐν ᾗ γενομένη φιλοσοφία τε καὶ δύναμις ὄντως ἐν ταὐτῷ . . . λάμψασαν* (l. *λάμψασ᾽ ἂν*) *δόξαν παρέστησεν κτέ.* Verum quod hoc loco dicit se optare, id in altero loco quasi verum ponit, quod plane secus erat. Itaque haec epistola, ut conflata est ad similitudinem VII[ae], ita rhetorem prodit tam scribendi peritia quam rerum scientia alteri longe postponendum.

Peioris notae sunt reliquae duae ad Dionysium Epistolae, I et XIII. Prima continet acrem exprobrationem Dionysio, quod Platonem optime de se meritum tam *ἀτίμως* dimisisset; simul viaticum acceptum ei remittit et tyrannum desertum ab amicis valere jubet. Mentio viatici a

Dionysio dati spectat ad id quod de ultimo Platonis discessu e Sicilia legitur in Ep. VII, p. 350 B: *ἀπέπεμψεν ἐφόδια δούς*; quod autem initio epistolae de se dicit, *τὰς διαβολὰς δυσχερεῖς οὔσας ὑπέμενον*, spectat ad aulicorum criminationes. Unde apparet scriptam hanc epistolam fingi post ultimum discessum Platonis e Sicilia eiusque argumentum ex illa (VII) ductum esse. Sed in eadem epistola multa sunt inepta. Primum hoc, quod incipit alloqui plures (*ὑμῖν, ὑμετέραν ἀρχὴν*), puta Dionysium ejusque fratres vel propinquos, tum autem subito ad unum Dionysium convertit orationem, quem usque ad finem alloqui pergit (*σὺ δὲ τοιοῦτος ὢν* etc.). Deinde dicta parum congruunt Platoni ac plane discrepant ab iis quae in III et VII leguntur, praesertim quod initio de se dicit: *διατρίψας ἐγὼ παρ' ὑμῖν χρόνον τοσοῦτον καὶ διοικῶν τὴν ὑμετέραν ἀρχήν*, item, *αὐτοκράτωρ δὲ πολλάκις τὴν ὑμετέραν πόλιν διαφυλάξας*. Fuerit Plato aliquamdiu magna apud Dionysium auctoritate, tantum certe numquam valuit ut *αὐτοκράτορα* se dicere posset.

Tales ob rationes Ficinum credo hanc epistolam Platoni abjudicasse et Dioni tribuisse, quem plerique secuti sunt. At huic minus etiam convenit: nam quod initio legitur *διατρίψας ἐγὼ παρ' ὑμῖν*, *διατρίβειν* in loco non dicitur de loci incola; neque Dioni magis quam Platoni licuit de se dicere: *αὐτοκράτωρ — διαφυλάξας*, quippe qui non ita multo post quam Dionysius patri in regnum successit pulsus esset. Praeterea viaticum Dioni a Dionysio datum esse non probabile: misit ei quotannis praediorum et fundorum reditus; at Platoni viaticum datum esse commemorat etiam Epistola VII, p. 350 B. Fuisse autem qui opinarentur Platonem revera in aula Dionysii tanquam

dominum se gessisse, nemo mirabitur qui legerit quae referuntur ab Athenaeo libro XI extr.

Huic epistolae sensu et voluntate plane contraria est ultima, XIII: ut illa implacabile odium spirat, ita haec intimam redolet familiaritatem. Et tamen ambae circa idem tempus scriptae finguntur, eo scilicet tempore, quo Plato ob injurias Dioni illatas, turpem relegationem, vendita bona, uxorem alteri datam, vehementer Dionysio infensus esset. Itaque duae hae Epistolae, I et XIII, ut inter se pugnant, ita cum Epistolis III et VII nequaquam congruunt.

Epistola IV scripta est Dioni, quum expulso Dionysio in Sicilia versaretur. Hortatur eum ut moderate se gerat in imperio utque cum familiaribus, Heraclide et Theodote, concordiam servet, aemulationem vitet. Hac epistola velut exemplo ostenditur, quanta cura Plato absentem amicum et discipulum consiliis regeret. Cum Epistola II hanc convenientiam habet, quod utriusque argumentum et stilus redolent *μελετὴν* rhetoricam: altera Dionysium, altera Dionem summorum virorum exemplo incitat ad virtutem et honestatem; eadem iactantia in utraque conspicitur, ac similes paene sententiae in iis leguntur [1]. Ambae hae epistolae, quamquam earum argumentum e VII quasi e communi armario depromtum videtur, tamen orationis colore et tractandi ratione multis nominibus hac inferiores sunt habendae.

---

1) Cf. Ep. II, p. 310 E: *οὔτ' αὐτοὶ ἀγνῶτές ἐσμεν οὐδενὶ Ἑλλήνων, οὔθ' ἡ συνουσία ἡμῶν σιγᾶται κτέ.* et Ep. IV, p. 320 C: *ἀναμιμνήσκειν δεῖ ἡμᾶς αὐτοὺς ὅτι προσήκει πλέον ἢ παίδων τῶν ἄλλων ἀνθρώπων διαφέρειν τοὺς οἶσθα δήπου.*

Uti hae epistolae, ita ceterae quoque quae ad familiares scriptae sunt praestantiae gradu multum inter se differunt; simul autem in plerisque haud obscura indicia inveniuntur, eas e VII esse procusas.

Epistola V scripta est ad Perdiccam, quo regem Macedoniae intelligi argumentum ostendit, siquidem apparet eum *μόναρχον* fuisse (p. 321—322), et tempora conveniunt. Regnavit enim Perdiccas III a. C. 364—359, quo tempore Plato propemodum 65—70 annos natus erat. Commendat ei Euphraeum, unum nimirum ex Academiae sodalibus [1]), et simul rationes addit cur ipse, dum aliis consilia daret, prorsus a republica abstinuerit. Haec autem defensio inde a verbis, *ἐὰν δέ τις ἀκούσας ταῦτα* (p. 322 A), est quasi compendium eorum quae in exordio Epistolae VII leguntur de Platonis vita publica, et postea p. 330 sq. de ratione quae in consiliis dandis sequenda sit; non pauca in his prorsus sunt similia. [2])

Epistola IX ad Archytam veluti documento est *ξενίας καὶ ἑταιρείας* quam cum Archyta se iniisse scribit Ep. VII p. 338 C, cuius etiam epistolas ad se missas ibidem memorat, p. 339 D. Praecepta continet expressa e Platonis mente, qualis in illa epistola pingitur: velut quae monet de capessenda republica, de inserviendo patriae, tum praesertim verba illa: *πολλὰ δὲ καὶ τοῖς καιροῖς δίδοται τοῖς τὸν βίον ἡμῶν καταλαμβάνουσιν*, haud discrepant ab iis quae de se ipso dicit Ep. VII, p. 324 C et 331 D.

---

1) De Platonis cum Euphraeo et Perdicca consuetudine vid. Athen XI. p. 508 D.

2) Veluti p. 322 B: *εἰ μὴ μάτην κινδυνεύσειν ᾤετο*, et p. 331 D: *εἰ μέλλοι μήτε ματαίως ἐρεῖν μήτε ἀποθανεῖσθαι λέγων.*

Epistola VI ad tres juvenes, Hermiam, Erastum et Coriscum, quos amicitiae et studiorum vinculo inter se conciliare studet, et X^ma^ ad Aristodorum missae quasi exemplo ostendunt, quod scriptor Epistolae VII Dionem facit de Platone praedicantem, quod valeret *πειθοῖ μάλιστα ἀνθρώπους νέους πὶ τὰ ἀγαθὰ καὶ δίκαια προτρέπων εἰς φιλίαν τε καὶ ἑταιρείαν ἀλλήλοις καθιστάναι* (p. 328 D). In utraque inveniuntur sententiae quae in VII quoque sunt obviae. Ita Hermiae, juveni nobili, ut videtur, et suae civitatis principi, nihil pluris aestimandum praecipit *ἢ πλῆθος φίλων βεβαίων τε καὶ ἦθος ἐχόντων ὑγιές*. Idem suadet Ep. VII, p. 331 E et 332 C. Notabilis quoque usus vocabuli *κύριος* p. 323 C D in *πατέρα κύριον* et *χρῆσθαι ξυνθήκῃ καὶ νόμῳ κυρίῳ*, quod aeque quaesitum atque Ep. VIII, p. 354 C: *νόμος ἐπειδὴ κύριος ἐγένετο βασιλεὺς τῶν ἀνθρώπων*. Utroque loco id prorsus redundat.

Ceterum unus est locus in Ep. VI, in quo graviter offenderunt viri docti, nimirum haec quae in fine leguntur: *τὸν τῶν πάντων θεὸν καὶ ἡγέμονα τῶν τε ὄντων καὶ μελλόντων, τοῦ τε ἡγέμονος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντας*: quae Tennemannus aliique a Christiano homine assuta esse crediderunt (cf. Ast. p. 511). Sine ratione, opinor. De hoc autem infra acturus sum.

Hae igitur epistolae quas memoravi si cum VII^ma^ conferuntur, ita cum hac conjunctae sunt, ut, quod idem supra de Epistola IV animadvertimus, eam velut explicent et amplificent.

Aliter comparatae sunt eae quae restant, Epistolae XI et XII, quae argumento et oratione pro parte Epistolis I et XIII aequiparari possunt.

[illegible] familiares [illegible] praestantiae [illegible] differunt [illegible] autem [illegible] haud [illegible] inveniuntur [illegible] VII esse [illegible].

Epistola V scripta est ad Perdiccam, qui regem Macedoniae [illegible] argumentum ostendit [illegible] p. 321—322, et tempora [illegible]. [illegible] Perdiccas III a. C. 364—359, qui tempore Platonis [illegible] annos natus erat. [illegible] et Euphraeum, [illegible] ex Academiae sodalibus [1], et simul rationes [illegible] cum aliis [illegible] a republica abstinuerit. [illegible] autem [illegible], [illegible] p. 322 [illegible] quae [illegible] in [illegible] Epistolae VII [illegible] de Platonis vita [illegible] et postea p. 331 sq. de ratione quae in consilio dando sequenda [illegible] non [illegible] sunt similia [2].

Epistola IX ad Archytam [illegible] documento est [illegible] quam eum Archyta [illegible] Ep. VII p. 338 C, [illegible] etiam epistolae ad se missae [illegible] meminerit, p. 339 D. Praecepta continet expressa e Platonis [illegible], quae in illa epistola [illegible]: velut quae monet de capessenda republica, de inserviendo patriae, tum praecepta verba illa: [illegible]. haud discrepant ab iis quae de se ipso dicit Ep. VII, p. 324 C et 331 D.

---

1) De Platonis cum Euphraeo et Perdicca consuetudine vid. Athen XI, p. 506 D.

2) Veluti p. 322 B: εἰ μὴ μάτην [illegible] ἤετο, et p. 331 D: εἰ μέλλοι μήτε ματαίως ἐρεῖν μήτε ἀποθανεῖσθαι λέγων.

Epistola VI ad tres juvenes, Hermiam, Erastum et Coriscum, quos amicitiae et studiorum vinculo inter se conciliare studet, et X^ma ad Aristodorum missae quasi exemplo ostendunt, quod scriptor Epistolae VII Dionem facit de Platone praedicantem, quod valeret *πειθοῖ μάλιστα ἀνθρώπους νέους πὶ τὰ ἀγαθὰ καὶ δίκαια προτρέπων εἰς φιλίαν τε κxὶ ἑταιρείαν ἀλλήλοις καθιστάναι* (p. 328 D). In utraque inveniuntur sententiae quae in VII quoque sunt obviae. Ita Hermiae, juveni nobili, ut videtur, et suae civitatis principi, nihil pluris aestimandum praecipit *ἢ πλῆθος φίλων βεβxίων τε καὶ ἦθος ἐχόντων ὑγιές*. Idem suadet Ep. VII, p. 331 E et 332 C. Notabilis quoque usus vocabuli *κύριος* p. 323 C D in *πατέρx κύριον* et *χρῆσθαι ξυνθήκῃ κxὶ νόμῳ κυρίῳ*, quod aeque quaesitum atque Ep. VIII, p. 354 C: *νόμος ἐπειδὴ κύριος ἐγένετο βασιλεὺς τῶν ἀνθρώπων*. Utroque loco id prorsus redundat.

Ceterum unus est locus in Ep. VI, in quo graviter offenderunt viri docti, nimirum haec quae in fine leguntur: *τὸν τῶν πάντων θεὸν καὶ ἡγέμονα τῶν τε ὄντων καὶ μελλόντων, τοῦ τε ἡγέμονος καὶ xἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντας*: quae Tennemannus aliique a Christiano homine assuta esse crediderunt (cf. Ast. p. 511). Sine ratione, opinor. De hoc autem infra acturus sum.

Hae igitur epistolae quas memoravi si cum VII^ma conferuntur, ita cum hac conjunctae sunt, ut, quod idem supra de Epistola IV animadvertimus, eam velut explicent et amplificent.

Aliter comparatae sunt eae quae restant, Epistolae XI et XII, quae argumento et oratione pro parte Epistolis I et XIII aequiparari possunt.

Quanta fuerit istorum rhetorum ignorantia, clarius documentum reperiri non potest quam Epistola XI, in qua Plato Laodamanti, petenti ut suae civitati leges daret, respondet, Socratem *στραγγουρίᾳ* laborare, se autem *δι' ἡλικίαν* fugere *πλανᾶσθαι κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν*. An major temporum confusio cogitari potest quam credere, vivente Socrate Platonem senem fuisse et errorum terra marique lassum? Neque de alio Socrate, juniore illo, vel de Isocrate (Ast. p. 526) hic cogitari posse, argumentum clamat. Scribendae autem huius epistolae ansam facile dedit fama, Platonem a Megalopolitanis arcessitum ut leges iis scriberet, id abnuisse.

Non melioris *κόμματος* est XII, scripta ad Archytam, qua huic gratias agit, quod sibi misisset *ὑπομνήματα* hominis Pythagorei, ut videtur, quem dicit oriundum fuisse a maioribus Troianis. Intellexitne Pythagoricae scholae conditorem, Panthoïden, e genere illo Trojugenûm, qui Laomedonteae iniuriae fuissent immunes et relicta Troia in Magnam Graeciam migrassent? Vicissim autem Plato sua *ὑπομνήματα* ei se missurum pollicetur, promissa arcani fide. Olet haec epistola lampadem Platonici *πυθαγορίζοντος*.

Jam summa eorum quae disputavimus, ut paucis comprehendam, huc redit. Antiquissimam esse Epistolam VII, hanc veluti principium et exemplum fuisse ceteris; proxime cum hac cohaerere VIII^am ad Dionis amicos et III^am ad Dionysium scriptas, tum II^am ad Dionysium et IV^am ad Dionem, deinde Epistolas ad diversos, V, VI, IX et X. Ab his voluntate dissentire duas reliquas ad Dionysium, I et XIII; denique prorsus ineptas esse XI et XII.

Harum Epistolarum quinque prioribus, I—V, hoc commune consilium subest, quod quidem III[a] et VII[a] manifeste prae se ferunt, ut Platonem a diversis reprehensionibus defendant. Praeterea aliud est in quo tredecim epistolae cunctae conveniunt, quod nempe Platonem nobis proponunt non solum ut philosophum, sed ut *ἄνδρα πολιτικόν*, qui cum principibus suae aetatis viris et regibus familiari consuetudine junctus esset ab iisque in rebus civitatem tangentibus tanquam judex et arbiter coleretur. Itaque hoc etiam eo ducit ut credamus, epistolas has, quamquam praestantiae gradu dispares, ex una tamen quasi officina esse profectas. [1])

Sed ut scribendi consilio et argumento epistolae inter se junctae sunt, ita etiam intercedit iis ingenii, figurae formaeque convenientia et quasi cognatio quaedam.

Si ingenium scribentis attendas, ubique in iis apparet *τὸ φιλόδοξον*: sapientiam non propter se solum sed aeque propter hominum opinionem et gloriam quam parit expetendam esse. Clare hoc eloquitur Epistola II, ubi ad Dionysium haec scribit, p. 311 C: *ἀνάγκη γὰρ, ὡς ἔοικε, μέλειν ἡμῖν καὶ τοῦ ἔπειτα χρόνου, ἐπειδὴ καὶ τυγχάνουσι κατά τινα φύσιν οἱ μὲν ἀνδραποδωδέστατοι οὐδὲν φροντίζοντες αὐτοῦ, οἱ δ' ἐπιεικέστατοι πᾶν ποιοῦντες ὅπως ἂν εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον εὖ ἀκούσωσιν.* Cf. p. 312 C. Cum

1) Similis fere est Socheri opinio scribentis: „Sie (nl. die Briefe) „stehen in keinem ausdrücklichen Bezuge auf einander; sie widersprechen „sich sogar einander öfters; aber ein gemeinschaftlicher Band umschlingt „sie, die Rechtfertigung politisirender Philosophie, und zum Theil die „Behauptung einer geheimen Weisheit. Einer mochte den Anfang ge„macht haben etwas über die Sikelischen Vorfälle in Form eines mit „Platons Namen bezeichneten Briefes bekannt zu machen; Anderen „folgten ihm dann im gleichem Geiste nach."

his conspirant quae ad Dionem scribit Ep. IV, p. 320 C. Ita in Platonem transfertur id ipsum quod ille acerrime in Sophistis vituperare solebat.

Gloriae studio finitima est φιλονικία et μεγαληγορία, quae in omnibus epistolis utraque fere paginae elucent. Ipse se solum sapere existimat, ceteros tantum quantum ab ipso accepissent; quodsi sint qui putent se suopte ingenio aliquid reperisse, vanam hanc dicit esse opinionem; in nemine bonae quid frugis inesse, qui non ab ipso probatus et spectatus sit; itaque se coli et honorari ab omnibus oportere ut sapientiae auctorem. Haec modo tectius, modo apertius proloquitur. Vid. Ep. II, p. 312 B, C. Ep. III, p. 316 C. Ep. VII, p. 341 B — 342 A, p. 344 D, p. 345 C. Ut unum exemplum afferam, quam arroganter dictum est illud p. 341 D: καίτοι τοσόνδε γ' οἶδα, ὅτι γραφέντα ἢ λεχθέντα ὑπ' ἐμοῦ βέλτιστ' ἂν λεχθείη.

Ad discipulos et familiares sic loquitur ut aretalogus; abundat locis communibus, praecepta tanquam oraculi effata edit. Vid. Ep. VII, p. 334 C et 336 E, VIII, p. 354 A. Crebro in ore habet illud φημ' ἐγώ, ὡς ἐγώ φημι. Ep. II, p. 310 C, 311 D. VI, p. 322 D, alibi. [1])

Superbiae huic juncta est, quae item in omnibus epistolis cernitur, affectata pietatis et religionis ostentatio tam in sententiis quam in verbis. Sexcenties offendimus dictiones huiusmodi: ἂν θεὸς ἐθέλῃ, σὺν θεῷ εἰπεῖν, θείᾳ τινὶ τύχῃ, ξυλλαμβανόντων θεῶν, θεία μοῖρα, ἱερὰ ξυμβουλή, aliaque id genus notata jam passim ab Astio, [2]) quibus

---

1) Vid. Ast. libr. laud. p. 509, 516, 519, 529.

2) Vid. Ast. p. 511, 514, 517; 519 sq., 532, 52S.

infra in tractanda epistola VII nonnulla addam. Non aliena quidem talia sunt a Platone; contra omnes eius dialogi, maxime autem libri de Legibus piam deorum reverentiam prae se ferunt; sed ut ibi talia dicta sponte e re nata et loquentis ex animo profluunt, ita hic quaesita et consulto inculcata sunt.

Haec aliaque id genus per omnes epistolas sunt diffusa, atque eatenus, licet forma et specie sint dissimiles, cognatam tamen originem produnt.

Maxime vero scriptorem arguit stilus. Hac in parte etsi epistolae aliquantum inter se distant, tamen in cunctis cernitur Platonicae orationis effigies, vel potius dicam, εἴδωλον. Ubique elegantis et ornatae dictionis illius vestigia agnoscere tibi videare, imprimis copiam, amplitudinem, gravitatem tam in sententiis quam in verbis, nec ullum facile scriptum reperias, in quo Platonis oratio multis partibus accuratius sit expressa quam in Epistola VII. Haec similitudo talis est ut minus attentum lectorem fallere possit, uti revera doctissimos judices et emunctae naris criticos fefellit; at propius intuenti facile apparet non verum esse colorem sed fucatum, non proprium ornatum sed adscitum; dictionis figurae et ornamenta, quae in ipso Platone parce adhibita placent et orationem illuminant, in hac epistola temere et immodice effusa ineptum produnt argutiarum aucupium. Accedit quod flumen et copia orationis turbatur crebro implicitis sententiis et inanibus ambagibus, passim etiam contaminatur verbis et juncturis quae ab Attica puritate et a sano judicio abhorrent. In omni autem illo orationis ornatu et copia desideratur plane tum dilucidus cogitationum ordo, tum Socraticus ille lepor,

quo Platonis oratio nitet. Denique tota dictio sic comparata est, ut qui attente eam legat facile agnoscat non germanum Platonem se legere, sed sedulum imitatorem, qui verbis sententiis floribus undique ex illo conquisitis opus suum concinnaverit.

Jam summa quaestionis posita est in Epistola VII, quam plerique etiamnunc vel ab ipso Platone vel certe ab aliquo eius familiarium scriptam existimant. Quodsi haec vera et sincera est, ceterae quoque, etsi illa inferiores, non nullius pretii erunt habendae; sin ficta et suppositicia, reliquae sponte corruunt. In qua epistola examinanda quum adhuc critici non eam collocarint operam quam res postulat, de hac diligentius nobis erit agendum, quo ad ceterarum judicium via nobis facilis et aperta erit.



CAPUT III.

DE EPISTOLA VII.



§ 1.

Argumenti conspectus.

Demetrius rhetor quum Platonis epistolas *ἄγαν μακρὰς* vocat [1]), primo loco hanc eum ob oculos habuisse probabile est. Tanta enim est huius epistolae et argumenti et orationis longitudo, tanta sententiarum verborumque prolixitas, ut difficile sit uno eam tenore perlegere, difficilius, quum ad finem perveneris, medium et initium reminisci.

Scripta est ad Dionis familiares Syracusis degentes,

1) Demetr. Περὶ ἑρμην. § 228, in Rhett. Graec. ed. Spengel, Vol. III, p. 311 sq. Locum integrum adscribam: „Epistolam, dicit, nec longam esse oportet nec grandem; *αἱ δ᾽ἄγαν μακραὶ καὶ προσέτι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ὀγκωδέστεραι οὐ μὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιστολαὶ γένοιντ᾽ ἄν, ἀλλὰ συγγράμματα τὸ χαίρειν ἔχοντα προσγεγραμμένον, καθάπερ τοῦ Πλάτωνος πολλαὶ καὶ ἡ Θουκυδίδου.*

idque brevi post mortem Dionis, ut efficere licet ex his Epistolae verbis, p. 336 B: *νῦν δ' ἤπου τις δαίμων.... πάντα τὸ δεύτερον ἀνέτρεψέ τε καὶ ἀπώλεσε*: quae ad illius caedem spectant. Rerum status eo tempore in Sicilia hic fuit. Occiso Dione a Callippo Atheniensi (a. C. 353), respublica denuo intestinis discordiis lacerabatur, civibus partim Callippo faventibus, partim populare imperium restituere conantibus. Foris imminebant duo adversarii, Dionysius tyrannus, qui aliquamdiu Thurios se receperat, et Dionis frater Hipparinus, quorum uterque urbem expugnare et tyrannide potiri conabatur. In difficili igitur hoc rerum statu Dionis amici ad consilii inopiam adducti per literas consuluerunt Platonem, quamnam civitatis pacandae et reipublicae ordinandae viam inituri essent. Quibus hac epistola respondetur.

Dividi potest epistola in tres partes, quarum fines a scriptore distincte indicantur.

Prima pars, p. 323 E—330 C, continet explicationem causarum cur Plato in Italiam et Siciliam profectus sit, et narrationem primi et secundi eius adventus in aulam Dionysiorum.

Altera pars, p. 330 D—337 E, versatur in consiliis dandis et in exponendo, quibus rationibus Syracusarum civitas servari et optime ordinari possit.

Tertia pars, p. 337 E ad finem, in enarranda tertia profectione ad Dionysium, in tyranni indole et philosophiae studio describendo, et in memorandis casibus quos Plato ibi expertus esset usque ad reditum in patriam.

Singularum illarum partium argumentum breviter exponam, quo facilius sit totius epistolae ordinem et rerum tractationem judicare.

I. Plato respondet Dionis propinquis, libenter se velle societati illorum ascribi, si eandem quae Dionis fuisset de republica haberent sententiam; huius igitur sententia et voluntas qualis fuerit se expositurum. Exordium facit a suae ipsius vitae instituto et cursu. Inde ab adolescentia ductus fuit studio res publicas capessendi, sed multis casibus inde depulsus est. Primum quum triginta viri summa rerum potiti violentius se gererent atque ipsum Socratem vi participem reddere suae crudelitatis conarentur, abalienatus est a civilibus negotiis. His expulsis, quum spes revivisceret melioris rerum status, mox secuta est injusta Socratis damnatio, unde taedium eum cepit rerum publicarum; et quo magis aetate progrederetur, eo plenius perspexit adeo corruptos esse mores et disciplinam, ut pleraeque civitates immedicabili morbo laborarent; nullam esse salutis spem nisi aut philosophi imperarent aut imperantes philosopharentur. (p. 326 A).

Hac mente Athenas reliquit. Profectus in Italiam, ibi instituta et mores eadem qua domi labe corrupta repperit. Forte delatus in Siciliam (a. C. 388) et admissus in aulam Dionysii, ibi cognovit Dionem, tyranni propinquum, adolescentem (viginti fere annorum) acri ingenio, docilem, modestum, quem virtutis et sapientiae amore imbuit: qui ab hoc inde tempore unus in media aulae lubidine et lascivia temperantiam et frugalitatem colere non destitit. Abiit Plato. Aliquot autem annis post, mortuo Dionysio (a. 367), ab huius successore Dionysio minore, Dionis hortatu, invitatus est ut rursus Athenis Syracusas veniret. Re multum deliberata, tandem, etsi tergiversanter, cessit amicorum precibus et

iterum transvectus est in Siciliam, sperans fore ut regem juvenem aeque facile ac Dionem incenderet ἐπιθυμίᾳ τῆς φιλοσόφου ζωῆς, utque huius ope philosophiae vulgo spretae suus redderetur honos. Sed spem fefellit eventus. Ut venit Syracusas, mox uterque, Plato et Dio, per calumniatores in suspicionem et invidiam tyranni sunt adducti; Dio in exsilium missus est; ipse honorifica specie in aula retentus tanquam captivus, frustra laboravit ut tyrannum ad meliorem mentem reduceret.

Haec quae paucis exposui in epistola prolixe et verbose enarrantur. Commemorat non tantum, quibus argumentis quibusque verbis Dio ad profectionem in Siciliam se impellere studuerit, et quae ipse singulis illius argumentis responderit, sed ad rei gravitatem augendam fingit Dionem ipsum coram se orantem et philosophiae nomine se obtestantem, ne tam pulcram occasionem philosophiae honestandae dimitteret. Quae omnia ita composita sunt, ut fucatam rhetoris dictionem manifeste prae se ferant.

Hic autem derepente narrationem abrumpit. „Quam ob causam, inquit, relicta Sicilia, postea tertio illuc redierim, id narrabo, si prius consilium vobis dedero, quid in praesenti rerum statu faciendum sit, ne forsitan id quod ἔργον est sicut πάρεργον tractare videar, p. 330 C: ὧν δὲ ἕνεκα καὶ ὅσα ἔπραξα, ὑμῖν πρῶτον ξυμβουλεύσας ἃ χρὴ ποιεῖν ...., ὕστερον τὰ περὶ ταῦτα .... διέξειμι, ἵνα μὴ τὰ πάρεργα ὡς ἔργα μοὶ ξυμβαίνῃ λεγόμενα. Sensit ipse scriptor, quod attentum lectorem neminem fugiat, quae hactenus narravit ea ad rem quam tractaturus est parum pertinere. Quid enim? Initio epistolae dixit se primum expositurum, unde Dioni nata esset

illa quam de Syracusarum civitate liberanda concepisset sententia: *τίς δ' ἦν ὁ τρόπος τῆς γενέσεως αὐτῆς* (sc. *τῆς Δίωνος διανοίας*) *οὐκ ἀπάξιον ἀκοῦσαι.* p. 324 B. Repetit id a primo suo adventu in Siciliam, quo tempore in Dionis venerat familiaritatem; deinde quae huic itineri occasionem dederint, quae antegressa, quae secuta sint tam prolixe enarrat, ut potius Platonis vitae consilium et institutum inde ab adolescentia quam Dionis voluntatem et mentem declarare in animo habuisse videatur.

II. Jam ad *ξυμβουλὴν* progreditur: videamus quomodo id quod pollicetur efficiat. Est haec altera epistolae pars, in qua Dionis familiares docebit *ἃ χρὴ ποιεῖν ἐκ τῶν νῦν γεγονότων.*

Incipit a generali quaestione, docendo, quam viam et rationem in consiliis dandis sive singulis hominibus seu civitatibus sequendam censeat. Consilia non danda esse nisi petenti et obsequi cupienti, nemini vero consilium obtrudendum. Hanc viam se et antea secutum et nunc secuturum declarat. Id praefatus revolvitur ad querelas de Dionysiis patre et filio, quorum ille infidorum amicorum consiliis obsecutus septuplo peiorem se ostendit Dario (Hystaspis filio), *Δαρείου ἑπταπλασίως φαυλότερον* [1]), et quum Siciliam florentissimam reddere potuisset, imperium paene amisit; alter vero, spretis honestorum amicorum consiliis, quibus vastatam Siciliam recreare et Poenorum dominationem repellere

1) Cur *ἑπταπλασίως*? Ludit nimirum in eo quod Darius regnum divisit in septem partes, quarum quaeque maior quam tota Sicilia fuit, ut mox dicit: *διένειμέ τε μέρη μείζω ἕκαστα Σικελίας πάσης ἑπτά.*

potuisset, faciles aures praebuit assentatoribus, quorum delationibus factum esse, ut Dio e patria pelleretur, Plato multis molestiis afflictus re infecta abierit. At brevi Dionysium factorum poenituit. Dio enim copiis e Peloponneso adductis illum aggressus bis liberavit patriam. Sed Dionis beneficio indignos se praebuerunt Syracusani. Quae deinde secuta sunt, plane δημηγορικῶς exponuntur: οἷον γὰρ γέγονεν, ἀκοῦσαι χρὴ τοὺς ἐμὲ παρακαλοῦντας πρὸς τὰ νῦν πράγματα (p. 333 C), et eodem tenore cetera. Narrat Dionem a duobus fratribus, profectis cum ipso Athenis ad liberandos Syracusanos, trucidatum esse. Nefarium hoc scelus, flagitiosa iuvenum Atheniensium adversus amicum perfidia, indignationem movet scriptoris, qui, tale facinus ne universo Atheniensium populo probro vertatur, objicit se quoque esse civem Atheniensem: Φημὶ γὰρ κἀκεῖνον Ἀθηναῖον εἶναι ὃς οὐ προὔδωκε τὸν αὐτὸν τοῦτον (Δίωνα), ἐξὸν, χρήματα καὶ ἄλλας τιμὰς πολλὰς λαμβάνειν, p. 334 B. Tum ostendit, quodnam sit discrimen inter τὴν ἐλευθέρας παιδείας κοινωνίαν, h. e. amicitiam communi philosophiae cultu conflatam, atque vulgarem illam et βάναυσον φιλότητα.

Quorsum haec omnia? Id ne quis quaerat, addit scriptor, p. 334 C: ταῦτ' εἴρηται πάντα τῆς ξυμβουλῆς ἕνεκα τῶν Διωνείων φίλων καὶ ξυγγενῶν. Deinde suadet iis, quod idem jam pridem Dionysio, tum Dioni suasisset, μὴ δουλοῦσθαι Σικελίαν ὑπ' ἀνθρώποις δεσπόταις.... ἀλλ' ὑπὸ νόμοις, ne Sicilia subjiciatur hominum dominatui, sed legum. Haec, inquit, ibidem D, ταῦτα πρῶτον μέν Δίωνα ἐγὼ ἐπεχείρησα πείθειν, δεύτερον δὲ Διονύσιον, τρίτους δὲ ὑμᾶς νῦν· καί μοι πείθεσθε Διὸς τρίτου σωτῆρος χάριν, εἶτα εἰς Διονύσιον βλέψαντες καὶ Δίωνα, ὧν ὁ μὲν μὴ

πειθόμενος ζῇ τὰ νῦν οὐ καλῶς, ὁ δὲ πειθόμενος τέθνηκε καλῶς. Quam argutae antitheses, quam lepide ludit ternario numero: *τρίτους — τρίτου.* Hinc digreditur ad poenas quae post mortem maneant eos qui libidine, avaritia, scelere se polluerint. Deinde rursus vituperatio Dionysii, laudatio Dionis: praedicantur huius praeclara consilia, deploratur exitus miserabilis qui optima eius consilia pro Syracusarum libertate et salute everterit. Verum missis his questibus, ait, fausta loquar: *εὐφημῶμεν* (l. *εὐφημῶ μὲν*) *χάριν οἰωνοῦ τὸ τρίτον,* [1]) *ὅμως δὲ μιμεῖσθαι μὲν ξυμβουλεύω Δίωνα ὑμῖν τοῖς φίλοις τήν τε τῆς πατρίδος εὔνοιαν καὶ τὴν τῆς τροφῆς σώφρονα δίαιταν, ἐπὶ λῳόνων δ' ὀρνίθων τὰς ἐκείνου βουλήσεις πειρᾶσθαι ἀποτελεῖν.* p. 336 C. Quamquam Dioni res male cessit, nihilominus imitandae eius virtutes et sequendum exemplum: *ἰσονομία* reddenda Siciliae, undique in auxilium vocatis amicis et sociis e Sicilia et Peloponneso, nec non Athenis: *εἰσὶ γὰρ κἀκεῖ πάντων ἀνθρώπων διαφέροντες πρὸς ἀρετὴν ξενοφόνων τε ἀνδρῶν μισοῦντες τόλμας.* p. 336 D. At vero (ita pergit) objiciat quis: ista in posterum curae erunt, nunc vero tempus urget nec quotidiana discidia et lites cunctari nos sinunt. Ad haec audi quid respondeat. Scire oportet, nullam prius fore contentionum finem quam victores moderate et sapienter se gerant et victos ad

1) En rursus *τὸ τρίτον.* Crebro hoc numero ludit noster, nimirum quia nescio quid arcani in hoc inesse putabatur. Vid. p. 334 C: *τὴν αὐτὴν ξυμβουλὴν καὶ λόγον τὸν αὐτὸν λέγων ἤδη τρίτον τρίτοις ὑμῖν.* p. 340 A: *ἐλθὼν δ' οὖν τὸ τρίτον, τῷ σωτῆρι τοῦτο γ' οὖν ἔπραξα ὄντως.* Vid. etiam p. 345. A B. *Χάριν οἰωνοῦ* referendum ad *εὐφημῶ,* quia hoc boni ominis habebatur. Similiter apud Platonem de Legg. III, 702 C, Clinias, quum aliquid opportune memoratum esset, dicit, se id *οἰωνόν τινα ποιεῖσθαι.* Menex. p. 249 B: *οἰωνοῦ χάριν ἄρχεσθαι ἰέναι ἐπὶ τὴν πατρῴαν ἑστίαν.*

potuisset, faciles aures praebuit assentatoribus, quorum delationibus factum esse, ut Dio e patria pelleretur, Plato multis molestiis afflictus re infecta abierit. At brevi Dionysium factorum poenituit. Dio enim copiis e Peloponneso adductis illum aggressus bis liberavit patriam. Sed Dionis beneficio indignos se praebuerunt Syracusani. Quae deinde secuta sunt, plane *δημηγορικῶς* exponuntur: *οἷον γὰρ γέγονεν, ἀκοῦσαι χρὴ τοὺς ἐμὲ παρακαλοῦντας πρὸς τὰ νῦν πράγματα* (p. 333 C), et eodem tenore cetera. Narrat Dionem a duobus fratribus, profectis cum ipso Athenis ad liberandos Syracusanos, trucidatum esse. Nefarium hoc scelus, flagitiosa iuvenum Atheniensium adversus amicum perfidia, indignationem movet scriptoris, qui, tale facinus ne universo Atheniensium populo probro vertatur, objicit se quoque esse civem Atheniensem: *Φημὶ γὰρ κἀκεῖνον Ἀθηναῖον εἶναι ὃς οὐ προὔδωκε τὸν αὐτὸν τοῦτον* (*Δίωνα*), *ἐξὸν. χρήματα καὶ ἄλλας τιμὰς πολλὰς λαμβάνειν*, p. 334 B. Tum ostendit, quodnam sit discrimen inter *τὴν ἐλευθέρας παιδείας κοινωνίαν*, h. e. amicitiam communi philosophiae cultu conflatam, atque vulgarem illam et *βάναυσον φιλότητα.*

Quorsum haec omnia? Id ne quis quaerat, addit scriptor, p. 334 C: *ταῦτ' εἴρηται πάντα τῆς ξυμβουλῆς ἕνεκα τῶν Διωνείων φίλων καὶ ξυγγενῶν.* Deinde suadet iis, quod idem jam pridem Dionysio, tum Dioni suasisset, *μὴ δουλοῦσθαι. Σικελίαν ὑπ' ἀνθρώποις δεσπόταις .... ἀλλ' ὑπὸ νόμοις*, ne Sicilia subjiciatur hominum dominatui, sed legum. Haec, inquit, ibidem D, *ταῦτα πρῶτον μὲν Δίωνα ἐγὼ ἐπεχείρησα πείθειν, δεύτερον δὲ Διονύσιον, τρίτους δὲ ὑμᾶς νῦν· καί μοι πείθεσθε Διὸς τρίτου σωτῆρος χάριν, εἶτα εἰς Διονύσιον βλέψαντες καὶ Δίωνα, ὧν ὁ μὲν μὴ*

πειθόμενος ζῇ τὰ νῦν οὐ καλῶς, ὁ δὲ πειθόμενος τέθνηκε καλῶς. Quam argutae antitheses, quam lepide ludit ternario numero: *τρίτους — τρίτου*. Hinc digreditur ad poenas quae post mortem maneant eos qui libidine, avaritia, scelere se polluerint. Deinde rursus vituperatio Dionysii, laudatio Dionis: praedicantur huius praeclara consilia, deploratur exitus miserabilis qui optima eius consilia pro Syracusarum libertate et salute everterit. Verum missis his questibus, ait, fausta loquar: *εὐφημῶμεν* (l. *εὐφημῶ μὲν*) *χάριν οἰωνοῦ τὸ τρίτον*,[1]) *ὅμως δὲ μιμεῖσθαι μὲν ξυμβουλεύω Δίωνα ὑμῖν τοῖς φίλοις τήν τε τῆς πατρίδος εὔνοιαν καὶ τὴν τῆς τροφῆς σώφρονα δίαιταν, ἐπὶ λῳόνων δ' ὀρνίθων τὰς ἐκείνου βουλήσεις πειρᾶσθαι ἀποτελεῖν*. p. 336 C. Quamquam Dioni res male cessit, nihilominus imitandae eius virtutes et sequendum exemplum: *ἰσονομία* reddenda Siciliae, undique in auxilium vocatis amicis et sociis e Sicilia et Peloponneso, nec non Athenis: *εἰσὶ γὰρ κἀκεῖ πάντων ἀνθρώπων διαφέροντες πρὸς ἀρετὴν ξενοφόνων τε ἀνδρῶν μισοῦντες τόλμας*. p. 336 D. At vero (ita pergit) objiciat quis: ista in posterum curae erunt, nunc vero tempus urget nec quotidiana discidia et lites cunctari nos sinunt. Ad haec audi quid respondeat. Scire oportet, nullam prius fore contentionum finem quam victores moderate et sapienter se gerant et victos ad

1) En rursus *τὸ τρίτον*. Crebro hoc numero ludit noster, nimirum quia nescio quid arcani in hoc inesse putabatur. Vid. p. 334 C: *τὴν αὐτὴν ξυμβουλὴν καὶ λόγον τὸν αὐτὸν λέγων ἤδη τρίτον τρίτοις ὑμῖν*. p. 340 A: *ἐλθὼν δ' οὖν τὸ τρίτον, τῷ σωτῆρι τοῦτο γ' οὖν ἔπραξα ὄντως*. Vid. etiam p. 345. A B. *Χάριν οἰωνοῦ* referendum ad *εὐφημῶ*, quia hoc boni ominis habebatur. Similiter apud Platonem de Legg. III, 702 C, Clinias, quum aliquid opportune memoratum esset, dicit, se id *οἰωνόν τινα ποιεῖσθαι*. Menex. p. 249 B: *οἰωνοῦ χάριν ἄρχεσθαι ἰέναι ἐπὶ τὴν πατρῴαν ἑστίαν*.

officium redigant *αἰδοῖ καὶ φόβῳ*. Oportet ergo in quaque civitate rebus praeficere optimates, qui aequis legibus rempublicam constituant et gubernent: denorum millium civitati quinquaginta sufficiunt: *μυριάνδρῳ πόλει πεντήκοντα ἱκανοί*. p. 337 C. Haec sunt, inquit, quae vobis consulo, gemina illa aut proxima iis quae antea Dionysio et nuper Syracusanis suasi. — Equidem vereor, ne his lectis Dionis propinqui haud multo certiores facti sint, quid angustis in rebus agerent quam antea fuissent, imo ne postremo evenerit iis *ὥστε τελευτῶντες ἰλιγγιᾶν*.

His summatim expositis quisque, opinor, perspiciet, quod ipsam perlegenti epistolam manifestum erit, scriptorem sine ullo ordine huc illuc vagari, prius dicta repetere, ultima primis miscere, omnia confundere. Praeterea orationem plenam esse conquisitis undique flosculis, verborum ampullis et argutiis, tragicis sententiis et locis communibus, quae interdum nihil ad rem pertinent.

Deinceps ad tertiam partem, ultimum iter Syracusanum, transitum facit his verbis: *Ξυμβουλὴ μὲν δὴ καὶ ἐπιστολὴ εἰρήσθω καὶ ἡ παρὰ Διονύσιον ἐμὴ προτέρα ἄφιξις* (concinna verborum junctura!), *ἡ δὲ δὴ ὑστέρα πορεία τε καὶ πλοῦς ὡς εἰκότως τε ἅμα καὶ ἐμμελῶς γέγονεν, ᾧ μέλει ἀκούειν ἔξεστι τὸ μετὰ τοῦτο*. p. 337 E. Non sine ratione addit: „quae audiat cui lubet;" Dionis amicorum in praesens parum sane intererat ista audire.

III. Narrat igitur quibus rationibus adductus sit ut tertium illud iter susciperet. Increbuerat fama, Dionysium flagrare rursus amore philosophiae: *ὡς θαυμαστὸν ὅσον Διονύσιος ἐπιδεδωκὼς εἴη πρὸς φιλοσοφίαν*. p. 339 B. Itaque hortantibus amicis, in his Dione et Archyta, invi-

tante et instante ipso Dionysio, cuius literae ad Platonem commemorantur, Plato quum diu reluctatus esset, tam ob superiorum itinerum frustratum eventum quam senectutis gratia se excusans, tandem profisci statuit, ut tyranni animum tentaret et experiretur *πότερον ὄντως εἴη Διονύσιος ἐξημμένος ὑπὸ φιλοσοφίας, ὥσπερ πυρὸς, ἢ μάτην ὁ πολὺς οὗτος ἔλθοι λόγος Ἀθήναζε.* p. 340 B. Haec quae paucis verbis dixi longa oratione et per multas ambages enarrantur. Hic dictis exponit accurate, quinam aptissimus sit ingeniorum *ἔλεγχος*, qui optimus modus explorandi num quis indolem habeat vere *φιλόσοφον* et animo conceperit *ἔρωτα τοῦ βελτίστου βίου.* Quo *ἐλέγχῳ* usus in Dionysio mox invenit eum opinari multas atque gravissimas philosophiae partes se scire, quin etiam, ut ferebatur, his de rebus nonnihil scripto mandasse. Quod ipsum Platoni argumento erat eum non germanum esse philosophum: se enim nullum unquam verbum de philosophia edidisse, ut quae non literis, sed longo tantum commercio et assidua consuetudine tradi et mentibus inculcari possit. Si qui sunt qui scripserint de philosophia, *τούτους οὐκ ἔστι*, inquit, *κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν περὶ τοῦ πράγματος ἐπαΐειν οὐδέν. οὔκουν ἐμόν γε περὶ αὐτῶν ἔστι σύγγραμμα οὐδὲν οὐδὲ μήποτε γένηται, ῥητέον γὰρ οὐδαμῶς ἐστιν ὡς ἄλλα μαθήματα κτέ.* p. 341 C. Hinc longa digressio de natura *τῆς ἐπιστήμης*, qua efficitur eam talem esse ut literis consignari nec possit nec debeat, p. 342 A — 345 C. Quae disputatio tam multa habet et verbis et rebus confusa et obscura ut paene aenigma legere te credas. [1])

1) Hic locus infra seorsim a me tractabitur.

officium redigant *αἰδοῖ καὶ φόβῳ*. Oportet ergo in quaque civitate rebus praeficere optimates, qui aequis legibus rempublicam constituant et gubernent: denorum millium civitati quinquaginta sufficiunt: *μυριάνδρῳ πόλει πεντήκοντα ἱκανοί*. p. 337 C. Haec sunt, inquit, quae vobis consulo, gemina illa aut proxima iis quae antea Dionysio et nuper Syracusanis suasi. — Equidem vereor, ne his lectis Dionis propinqui haud multo certiores facti sint, quid angustis in rebus agerent quam antea fuissent, imo ne postremo evenerit iis *ὥστε τελευτῶντες ἰλιγγιᾶν*.

His summatim expositis quisque, opinor, perspiciet, quod ipsam perlegenti epistolam manifestum erit, scriptorem sine ullo ordine huc illuc vagari, prius dicta repetere, ultima primis miscere, omnia confundere. Praeterea orationem plenam esse conquisitis undique flosculis, verborum ampullis et argutiis, tragicis sententiis et locis communibus, quae interdum nihil ad rem pertinent.

Deinceps ad tertiam partem, ultimum iter Syracusanum, transitum facit his verbis: *Ξυμβουλὴ μὲν δὴ καὶ ἐπιστολὴ εἰρήσθω καὶ ἡ παρὰ Διονύσιον ἐμὴ προτέρα ἄφιξις* (concinna verborum junctura!), *ἡ δὲ δὴ ὑστέρα πορεία τε καὶ πλοῦς ὡς εἰκότως τε ἅμα καὶ ἐμμελῶς γέγονεν, ᾧ μέλει ἀκούειν ἔξεστι τὸ μετὰ τοῦτο*. p. 337 E. Non sine ratione addit: „quae audiat cui lubet;" Dionis amicorum in praesens parum sane intererat ista audire.

III. Narrat igitur quibus rationibus adductus sit ut tertium illud iter susciperet. Increbuerat fama, Dionysium flagrare rursus amore philosophiae: *ὡς θαυμαστὸν ὅσον Διονύσιος ἐπιδεδωκὼς εἴη πρὸς φιλοσοφίαν*. p. 339 B. Itaque hortantibus amicis, in his Dione et Archyta, invi-

tante et instante ipso Dionysio, cuius literae ad Platonem commemorantur, Plato quum diu reluctatus esset, tam ob superiorum itinerum frustratum eventum quam senectutis gratia se excusans, tandem profisci statuit, ut tyranni animum tentaret et experiretur *πότερον ὄντως εἴη Διονύσιος ἐξημμένος ὑπὸ φιλοσοφίας, ὥσπερ πυρὸς, ἢ μάτην ὁ πολὺς οὗτος ἔλθοι λόγος Ἀθήναζε.* p. 340 B. Haec quae paucis verbis dixi longa oratione et per multas ambages enarrantur. Hic dictis exponit accurate, quinam aptissimus sit ingeniorum *ἔλεγχος*, qui optimus modus explorandi num quis indolem habeat vere *φιλόσοφον* et animo conceperit *ἔρωτα τοῦ βελτίστου βίου.* Quo *ἐλέγχῳ* usus in Dionysio mox invenit eum opinari multas atque gravissimas philosophiae partes se scire, quin etiam, ut ferebatur, his de rebus nonnihil scripto mandasse. Quod ipsum Platoni argumento erat eum non germanum esse philosophum: se enim nullum unquam verbum de philosophia edidisse, ut quae non literis, sed longo tantum commercio et assidua consuetudine tradi et mentibus inculcari possit. Si qui sunt qui scripserint de philosophia, *τούτους οὐκ ἔστι*, inquit, *κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν περὶ τοῦ πράγματος ἐπαΐειν οὐδέν. οὔκουν ἐμόν γε περὶ αὐτῶν ἐστι σύγγραμμα οὐδὲν οὐδὲ μήποτε γένηται, ῥητέον γὰρ οὐδαμῶς ἐστιν ὡς ἄλλα μαθήματα κτέ.* p. 341 C. Hinc longa digressio de natura *τῆς ἐπιστήμης*, qua efficitur eam talem esse ut literis consignari nec possit nec debeat, p. 342 A — 345 C. Quae disputatio tam multa habet et verbis et rebus confusa et obscura ut paene aenigma legere te credas. [1])

---

1) Hic locus infra seorsim a me tractabitur.

His expositis redit ad Dionysium, quem iterum ostendit non ductum fuisse amore philosophiae; si fuisset, πῶς ἂν μὴ θαυμαστὸς ὢν ἄνθρωπος τὸν ἡγεμόνα τούτων καὶ κύριον (his verbis se ipsum significat) οὕτως εὐχερῶς ἠτίμασέ ποτ' ἄν; Hac autem in parte spe frustratus alterum negotium aggreditur. Narrat quas molestias pertulerit, quos labores impenderit ut Dionem tyranni in gratiam reconciliaret, quam perfide vero et injuste ille Dionem bonis suis spoliaverit; tum multis verbis exponit simultatem, jurgia, lites inde sibi cum Dionysio ortas, quae eo evaserunt ut postremo re infecta Siciliam reliquerit.

In Peloponnesum delatus Olympiae convenit Dionem in bello adversus tyrannum parando occupatum, cui tamen, pietate scilicet erga Dionysium ductus, quia hic quum occidere se potuisset id non fecisset (p. 350 C.), belli socium se adjungere recusat. Bella sane excusatio. His dictis subjicit denuo Dionis laudationem, in qua rursus in verbosam declamationem de probi civis officio delabitur. Postremo commiseratur triste illius fatum: ᾧ δὴ σφαλεὶς κεῖται, Σικελίαν πένθει περιβαλὼν μυρίῳ. Claudit epistolam lectores monendo, haec omnia se retulisse διὰ τὴν ἀτοπίαν καὶ ἀλογίαν τῶν γενομένων (l. λεγομένων), propter absurdos his de rebus rumores. Addit: εἰ δ' ἄρα τινὶ τὰ νῦν ῥηθέντα εὐλογώτερα ἐφάνη καὶ προφάσεις πρὸς τὰ γενόμενα ἱκανὰς ἔχειν ἔδοξέ τῳ, μετρίως ἂν ἡμῖν καὶ ἱκανῶς εἴη τὰ νῦν εἰρημένα.

En epistolae conspectum. Jam quod in omni scriptione, maxime vero in epistola, primum postulatur, est ut proposito sit consentanea. De hoc igitur videamus.

Dionis amici, mortuo duce et rectore, civitate intes-

tinis discordiis lacerata, imminentibus hostibus, in re trepida per literas adeunt Platonem consilium et auxilium rogantes. Horum rogationi ille hac epistola satisfacit. Iam, quid respondet? Se praesto illis fore, si eodem sint animo quo Dio fuisset; tum autem longa oratione suum ipsius vitae institutum, sententiam de republica, necessitudinem cum Dione et Dionysio, conatus ad liberandos Syracusanos enarrat; haec omnia nimirum διὰ τὴν ἀτοπίαν καὶ ἀλογίαν τῶν λεγομένων, ut falsos his de rebus rumores et opiniones redarguat; quod autem primarium erat officium, ut consilium daret petentibus, id epistolae, tam longae ut justi paene libri modum impleat, duabus paginis absolvitur (p. 336 C—337 E). Quid hoc aliud est nisi consulentes eludere? Quid? nonne Dionis familiares in rogando consilio ipsi jam declaraverant, ut initio epistolae legitur, se habere τὴν αὐτὴν διανοίαν ἥν εἶχε Δίων?

Sed palam est totam causam fictam esse. Nam quis credat Dionis socios in re angusta, ubi promte facto potius quam mature consulto opus erat, vocasse amicum multorum dierum itinere a se remotum, hominem septuagenarium, in umbra Academiae degentem, ut non solum λόγῳ, sed ἔργῳ vellet ipsis κοινωνεῖν? aut, si fecissent, Platonem iis rescripsisse talem epistolam quae consulentes fatigaret potius quam doceret.

Quodnam sit verum epistolae propositum, argumentum haud obscure indicat. A principio ad finem id agitur, ut ostendatur, qualis fuerit Platonis inde ab adolescentia de republica sententia et voluntas, et quo consilio semel, iterum, tertio, etsi grandis natu, Syracusas profectus sit: nimirum ut una cum Dione, egregiae indolis adolescente, conaretur Dionysium tyran-



His expositis redit ad Dionysium, quem iterum ostendit non ductum fuisse amore philosophiae; si fuisset, *πῶς ἂν μὴ θαυμαστὸς ὢν ἄνθρωπος τὸν ἡγεμόνα τούτων καὶ κύριον* (his verbis se ipsum significat) *οὕτως εὐχερῶς ἠτίμασέ ποτ' ἄν;* Hac autem in parte spe frustratus alterum negotium aggreditur. Narrat quas molestias pertulerit, quos labores impenderit ut Dionem tyranni in gratiam reconciliaret, quam perfide vero et injuste ille Dionem bonis suis spoliaverit; tum multis verbis exponit simultatem, jurgia, lites inde sibi cum Dionysio ortas, quae eo evaserunt ut postremo re infecta Siciliam reliquerit.

In Peloponnesum delatus Olympiae convenit Dionem in bello adversus tyrannum parando occupatum, cui tamen, pietate scilicet erga Dionysium ductus, quia hic quum occidere se potuisset id non fecisset (p. 350 C.), belli socium se adjungere recusat. Bella sane excusatio. His dictis subjicit denuo Dionis laudationem, in qua rursus in verbosam declamationem de probi civis officio delabitur. Postremo commiseratur triste illius fatum: *ᾧ δὴ σφαλεὶς κεῖται, Σικελίαν πένθει περιβαλὼν μυρίῳ.* Claudit epistolam lectores monendo, haec omnia se retulisse *διὰ τὴν ἀτοπίαν καὶ ἀλογίαν τῶν γενομένων* (l. *λεγομένων*), propter absurdos his de rebus rumores. Addit: *εἰ δ' ἄρα τινὶ τὰ νῦν ῥηθέντα εὐλογώτερα ἐφάνη καὶ προφάσεις πρὸς τὰ γενόμενα ἱκανὰς ἔχειν ἔδοξέ τῳ, μετρίως ἂν ἡμῖν καὶ ἱκανῶς εἴη τὰ νῦν εἰρημένα.*

En epistolae conspectum. Jam quod in omni scriptione, maxime vero in epistola, primum postulatur, est ut proposito sit consentanea. De hoc igitur videamus.

Dionis amici, mortuo duce et rectore, civitate intes-

tinis discordiis lacerata, imminentibus hostibus, in re trepida per literas adeunt Platonem consilium et auxilium rogantes. Horum rogationi ille hac epistola satisfacit. Iam, quid respondet? Se praesto illis fore, si eodem sint animo quo Dio fuisset; tum autem longa oratione suum ipsius vitae institutum, sententiam de republica, necessitudinem cum Dione et Dionysio, conatus ad liberandos Syracusanos enarrat; haec omnia nimirum διὰ τὴν ἀτοπίαν καὶ ἀλογίαν τῶν λεγομένων, ut falsos his de rebus rumores et opiniones redarguat; quod autem primarium erat officium, ut consilium daret petentibus, id epistolae, tam longae ut justi paene libri modum impleat, duabus paginis absolvitur (p. 336 C—337 E). Quid hoc aliud est nisi consulentes eludere? Quid? nonne Dionis familiares in rogando consilio ipsi jam declaraverant, ut initio epistolae legitur, se habere τὴν αὐτὴν διανοίαν ἥν εἶχε Δίων?

Sed palam est totam causam fictam esse. Nam quis credat Dionis socios in re angusta, ubi promte facto potius quam mature consulto opus erat, vocasse amicum multorum dierum itinere a se remotum, hominem septuagenarium, in umbra Academiae degentem, ut non solum λόγῳ, sed ἔργῳ vellet ipsis κοινωνεῖν? aut, si fecissent, Platonem iis rescripsisse talem epistolam quae consulentes fatigaret potius quam doceret.

Quodnam sit verum epistolae propositum, argumentum haud obscure indicat. A principio ad finem id agitur, ut ostendatur, qualis fuerit Platonis inde ab adolescentia de republica sententia et voluntas, et quo consilio semel, iterum, tertio, etsi grandis natu, Syracusas profectus sit: nimirum ut una cum Dione, egregiae indolis adolescente, conaretur Dionysium tyran-



num, de quo optimam spem concepisset, philosophiae amore imbuere, ad virtutem et temperantiam adducere, eiusque opera Syracusis et toti Siciliae libertatem, prosperitatem, summam denique, ut dicit, *μακαριότητα* impertiri. His inseruntur ea quae ad moralem Platonis doctrinam, docendi methodum et philosophandi rationem declaranda pertinent.

Uti autem a promisso aberravit scriptor, ita interdum quasi oblitus ad familiares se scribere sic loquitur, ut appareat epistolam non ad familiarium coetum missam esse, sed destinatam ut vulgo legeretur, veluti p. 324 B: *τίς δ' ἦν ὁ τρόπος τῆς γενέσεως αὐτῆς, οὐκ ἀπάξιον ἀκοῦσαι νέῳ καὶ μὴ νέῳ.* p. 337 E: *ἡ δὲ ὕστερα πορεία... ὡς εἰκότως... γέγονεν, ᾧ μέλει ἀκούειν ἔξεστι τὸ μετὰ τοῦτο.* Loquitur ad senes et pueros, cuicumque audire lubet. Interdum de iis ad quos scribit loquitur tanquam de aliis, tertia persona, p. 333 C: *οἷον γὰρ γέγονεν, ἀκοῦσαι χρὴ τοὺς ἐμὲ παρακαλοῦντας πρὸς τὰ νῦν πράγματα.* 334 C: *ταῦτ' εἴρηται πάντα τῆς ξυμβουλῆς ἕνεκα τῶν Διωνείων φίλων καὶ ξυγγενῶν.*

Quod autem ad Dionis propinquos qui Platonem de constituenda Syracusarum civitate consuluisse dicuntur attinet, quinam isti intelligendi sunt?

Plutarchus in vita Dionis nomina servavit illustrium virorum qui Dionis consilia adjuverant vel expeditionis adversus Dionysium socii fuerant. In his memoratur Dionis frater Megacles, tum hospes eius Callippus, apud quem Athenis habitaverat, qui duo eum intrantem Syracusas ab utroque latere comitati sunt. Praeter hos eum secuti sunt Timonides Leucadius, qui res ab eo gestas literis mandavit, Eudemius Cyprius, Aristote-

lis familiaris (de quo Cicero Divin. c. 25), Alcimenes, unus e principibus Achaeorum, denique Miltas Thessalus, vates, Platonis auditor (Plut. Dion. c. 22, 23, 28). Praeter illos e mille exsulum numero quinque et viginti in expeditionis societatem venerant. Quum autem Dio Syracusas venisset, ibi multi se ei adjunxerunt, quorum tamen non nisi pauci, opinor, *οἰκείων* et *ἑταίρων* nomine digni fuerunt. Fidissimorum amicorum et sodalium plerique proeliantes adversus tyrannos ceciderunt, alii ab eo desciverunt, ut Callippus eiusque socii, quorum conjuratione postea necatus est (Plut. c. 57). Fidos amicos, quales hic significantur, Dioni perpaucos fuisse apparet ex eius nece, quum adstantium amicorum nemo percussoribus se objecit; mortuo autem eo, unus familiarium Hicetas Aristomachen et Areten Dionis uxores in domum suam receptas auro prodidit adversariis. Hinc colligere licet, qui hic vocantur *Δίωνος οἰκεῖοι*, in his cognatos fuisse paene nullos, amicos autem satis vulgares, non tam hominis studiosos quam eius partium, qui Dionis exemplo liberiorem reipublicae formam inducere conarentur. Diodoro autem teste (XVI. 36), hi, quum res novas molirentur, a Callippo urbe pulsi Leontium fugerunt: *στάσεως γενομένης τοῖς Δίωνος φίλοις πρὸς Κάλλιππον οἱ μὲν τοῦ Δίωνος φίλοι ἡττηθέντες ἔφυγον εἰς τοὺς Λεοντίνους.* Callippus per tredecim menses imperium Syracusis tenuit.[1]) Quae reputantes facile intelligemus illos eo tempore non tanta fuisse potentia, ut de ordinanda civitate deliberandi iis esset locus.

---

1) Cf. Grote, vol. XI, p. 129 sq. Diversos Syracusarum casus inde a morte Dionis paucis recenset Salomon libr. laud. p. 13 annot.

Haec de epistolae argumento et rerum tractatione; jam de oratione videamus.

§ 2.

De Oratione. 1)

Quo melius scriptoris judicium, acumen, elegantia in verbis et cogitationibus aestimari possint, speciminis causa nonnullos locos percurram. Ordiamur ab initio.

Epistola sic incipit: Ἐπεστείλατε μοὶ νομίζειν δεῖν τὴν διανοίαν ὑμῶν εἶναι τὴν αὐτὴν ἥν εἶχε καὶ Δίων, καὶ δὴ καὶ κοινωνεῖν διεκελεύεσθε μοι καθόσον οἷος τ' εἰμὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ. Ἐγὼ δὲ, εἰ μὲν δόξαν καὶ ἐπιθυμίαν τὴν αὐτὴν ἔχετε ἐκείνῳ, ξύμφημι κοινωνήσειν, εἰ δὲ μὴ, βουλεύσεσθαι πολλάκις.

In principio notetur supervacuum δεῖν. Nam ἐπεστείλατέ μοι νομίζειν significat *scripsistis mihi ut existimem* sive *per literas jussistis me existimare.* De huiusmodi pleonasmis infra. Ultimis verbis βουλεύσεσθαι πολλάκις significatur ὑποκοριστικῶς, *abnuere, recusare.* Quid autem hic sibi vult πολλάκις? Proprio sensu acceptum pro *saepe*

1) Hac in parte nequaquam probare possum judicium K. Fr. Hermanni in censura dissert. Salomonis supra laudatae, ubi haec dicit: „Unseres Erachtens komt es nicht sowohl darauf an Abweichungen von Platonischer Sprache und Ideengange, worüber die Entscheidung immer sehr schwer bleibt, als vielmehr gefliessentliche Nachahmungen und Reminiscenzen nach zu weisen, die sich von einem so reichen Geiste wie Plato nicht erwarten lassen." (Zeitschr. f. Alterthw. 1837. nr. 33). Posterius, quod laudat, libenter accipio; prius, quod rejicit, si verum esset, actum foret de arte critica.

prorsus friget; dictum videtur pro *forsitan*, quod sicut *ἴσως*, *που*, nonnumquam leniter affirmandi vim habet, ut idem fere sit quod *εἰκότως*. Hoc sensu *πολλάκις* eleganter apud Atticos ponitur, nec raro apud Platonem, ut in Phaedone, p. 60 E: *εἰ ἄρα πολλάκις ταύτην τὴν μουσικήν μοι ἐπιτάττοι ποιεῖν.* in Theage, p. 122 A: *ἡγοῦμαι κράτιστον εἶναι πείθεσθαι αὐτῷ, ἵνα μὴ πολλάκις ἄνευ ἐμοῦ ξυγγενόμενός τῳ διαφθαρῇ.* in Critia, p. 112 extr.: *τὸ δ' ἔτι ... δεῖ δηλῶσαι, μὴ πολλάκις ἀκούοντες Ἑλληνικὰ βαρβάρων ἀνδρῶν ὀνόματα θαυμάζητε*: ad quem locum plura Stallbaumius. Sed in omnibus huius significationis exemplis *πολλάκις* junctas sibi habet particulas *εἰ ἄρα*, *ἂν ἄρα*, *μή*: *si forte*, *num forte*, *ne forte.* Hic positum est insolite.

Pergit sic: *τίς δ' ἦν ἡ ἐκείνου διανοία καὶ ἐπιθυμία, σχεδὸν οὐκ εἰκάζων ἀλλ' ὡς εἰδὼς σαφῶς εἴποιμ' ἄν.*

Illud *σχεδὸν οὐκ εἰκάζων ἀλλ' ὡς εἰδὼς σαφῶς* imitatur Socraticam modestiam, de plerisque dubitanter loquentis, pauca affirmantis: velut in Menone, ubi discrimen notatur inter *ἐπιστήμην* et *δόξαν*, ita Socrates, p. 98 B: *καὶ μὴν καὶ ἐγὼ ὡς οὐκ εἰδὼς (οὐχ ὡς εἰδὼς?) λέγω, ἀλλ' εἰκάζω*: cum quibus haec ad verbum paene conveniunt. Item in Gorgia, p. 453 B: *τὴν ἀπὸ τῆς ῥητορικῆς πειθὼ, ἥτις πότ' ἐστι, ... σαφῶς μὲν εὖ ἴσθ' ὅτι οὐκ οἶδα, οὐ μὴν ἀλλ' ὑποπτεύω γε.* Quod autem additum est *σχεδὸν*, hic non solum supervacuum est, sed etiam molestum: si enim affirmo me non conjectura sed certo aliquid scire, illud *propemodum* alienum est. Saepe quidem Plato aliique scriptores in sermone et disputatione illud *σχεδὸν* adjiciunt *εὐλαβείας* gratia, si rem non examussim definire aut plane affirmare volunt, qui adverbii usus frequens

in libris de Legibus; sed talia additamenta ut parce nec incommode adhibita placent, ita large effusa nauseam movent et imitatoris, non germani artificis manum produnt. Quantopere noster in usu huius vocis sibi placeat, paucis exemplis monstrabo. p. 324 E: Σωκράτη, ὃν ἐγὼ σχεδὸν οὐκ ἂν αἰσχυνοίμην εἰπὼν δικαιότατον εἶναι τῶν τότε. p. 347 C: ταῦτ' ἐρρήθη, ταῦτα ξυνωμολογήσαμεν, ὡς νῦν εἴρηται σχεδόν. p. 350 D: οὔτ' οὖν ἡλικίαν ἔχω ξυμπολεμεῖν ἔτι σχεδὸν οὐδενί. Ep. VIII, p. 357 B: ἃ γὰρ ... ἑτοίμως ἔχει, ταῦτα δὲ σχεδὸν ὁ κρίνων ἀδύνατα οὐκ εὖ φρονεῖ. In omnibus his locis σχεδὸν friget vel ineptum est. In Ep. VII, p. 329 C legitur: μηνὶ δὲ σχεδὸν ἴσως τετάρτῳ Δίωνα Διονύσιος ἐξέβαλεν. Ambae hae voces junguntur etiam apud Platonem, ut in Soph. p. 253 C: πῶς γὰρ οὐκ ἐπιστήμης δεῖ καὶ σχεδὸν γ' ἴσως τῆς μεγίστης; de Legg. II, p. 658 D: τραγῳδίαν (sc. ceteris poësis generibus praeferunt) τὰ μειράκια καὶ σχεδὸν ἴσως τὸ πλῆθος ἁπάντων. In his locis σχεδὸν significat *prope*, *fere*, *ἴσως*, *ut* (ex rei natura) *probabile est*, at in Epistola hoc significationis discrimen non obtinet; σχεδὸν ibi prorsus otiosum est.

Pergit sic: ὅτε ... ἐγὼ ἀφικόμην σχεδὸν ἔτη τετταράκοντα γεγονώς, Δίων εἶχε τὴν ἡλικίαν ἣν τανῦν Ἱππαρῖνος γέγονεν, καὶ ἣν ἔσχε τότε δόξαν, ταύτην καὶ διετέλεσεν ἔχων Συρακουσίους οἴεσθαι δεῖν ἐλευθέρους εἶναι.

En rursus σχεδόν, quod hic quoque satis otiosum, quum probabile sit Platonem qua ipse tum esset aetate probe nosse. Tum alterum γέγονεν melius abesset; quin magnopere dubito num recte dicatur ἣν ἡλικίαν γέγονεν, sicut usitate dicitur τοσαῦτα ἔτη γέγονεν. Eodem modo Latini: *tot annos natus*, non vero, *eam aetatem natus*. Credibile foret γέγονεν a librario additum esse, nisi epistola tot huius generis

repetitionibus et inanibus verbis scateret. Deinde pleonasmus est denuo in verbo *οἴεσθαι*, quod appositum est vocabulo *δόξαν*. Similes quidem pleonasmi in Platone interdum occurrunt, sed ita ut ad perspicuitatem aliquid conferant, velut in Euthyd. p. 305 D: *ἡγοῦνται οὖν, ἐὰν τούτους εἰς δόξαν καταστήσωσι, μηδενὸς δοκεῖν ἀξίους εἶναι* [1]): ubi si *δοκεῖν* tollitur, obscurior fit sententia; hic contra *οἴεσθαι* perspicuitati officit potius quam prodest, nec elegantiam auget infinitivorum cumulatio *οἴεσθαι δεῖν εἶναι*. Similem pleonasmum notavimus modo verbi *δεῖν*; en alia quaedam exempla: p. 328 B: *ὅμως ἔρρεψε δεῖν ... πειρατέον εἶναι*, nisi hic fortasse pro *δεῖν* corrigendum *δοκεῖν*. p. 348 C: *ἂν ἄρα μὴ δόξῃ δεῖν αὐτὸν οἰκεῖν ἐν Σικελίᾳ*. p. 253 A: *ἀναγκαῖον εἶναι ἔδοξέ μοι ῥηθῆναι δεῖν*.

Ὥστε οὐδὲν θαυμαστὸν εἴ τις θεῶν καὶ τοῦτον εἰς τὴν αὐτὴν δόξαν περὶ πολιτείας ἐκείνῳ γενέσθαι ξύμφωνον ποιήσειεν. In his dubitatur legendumne sit *ξύμφωνον* an *ξύμφρονα* (libri alii *ξύμφωνα*, alii *ξύμφρονα*); prius certe eligendum, nam alterum est insolens. At *ξύμφρων* vel *ξύμφωνος εἰς τὴν αὐτὴν δόξαν*, *concors, unanimis in eandem sententiam*, quid est nisi languida tautologia? Videtur vero scriptor hoc dicere voluisse: *εἰς τὸ ἐν τῇ αὐτῇ δόξῃ διατελεῖν Δίωνι ξύμφωνον γενέσθαι*, „non mirum, si quis deus eum in hoc cum Dione consentientem faciat, ut aeque atque ille in ea qua est sententia perseveret.“ Si hoc voluit, parum accurate locutus est.

Praefationem sic concludit: *τίς δ' ἦν ὁ τρόπος τῆς γενέσεως αὐτῆς* (sc. *τῆς δόξης*), *οὐκ ἀπάξιον ἀκοῦσαι νέῳ καὶ μὴ νέῳ*. Belle scilicet dictum pro: *ὅθεν αὐτῷ ἥδε ἡ δόξα*

1) Cf. ll. collata ab Heindorfio ad hunc locum.

γέγονεν, ἄξιον ἀκοῦσαι. Perinde est ac si Latine diceres: *quis fuerit modus originis huius sententiae, dignum auditu.* Similis cumulatio genitivorum est p. 331 D: *βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν*, pro *βιαίαν πολιτείας μεταβολήν.* *Νέῳ καὶ μὴ νέῳ* est putida elegantia pro *νέῳ καὶ πρεσβύτῃ*, sive, ut est in Apologia p. 30 A: *καὶ νεωτέρῳ καὶ πρεσβυτέρῳ.* Eiusdemmodi est illud p 333 B: *ἵνα δ' ἐκπεράνωμεν οὐκ ὀλίγα πράγματα ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ*, pro *πολλὰ διὰ βράχεων.*

Postremo addit: *ἔχει γὰρ καιρὸν τὰ νῦν.* Scribenti otium fuisse ad longam epistolam concinnandam, credibile; num vero Dionis sociis avide consilium exspectantibus idem *καίριον* visum fuerit, magnopere dubites.

Haec praefatus a se ipso narrandi initium facit: *Νέος ἐγώ ποτ' ὢν πολλοῖς δὴ ταὐτὸν ἔπαθον· ᾠήθην, εἰ θᾶττον ἐμαυτοῦ γενοίμην κύριος, ἐπὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως εὐθὺς ἰέναι. Καί μοι τύχαι τινὲς τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων τοιαίδε παρέπεσον.*

In his quis non statim animadvertit inanes verborum ambages? Primum post *τὰ κοινὰ* otiosum est *τῆς πόλεως*: usitate enim Graecis dicitur *προσιέναι πρὸς τὰ κοινά, παρελθεῖν ἐπὶ τὰ κοινά, τὰ κοινὰ πράττειν, τῶν κοινῶν ἀπέχεσθαι*, alia huiusmodi, non addito *τῆς πόλεως*, quod hic eo magis offendit, quia idem vocabulum statim iteratur. Simili pleonasmo jungit noster *τὰ κοινὰ καὶ πολιτικά*, p. 325 A, quod in alio scriptore facile librario tribueres, in nostro id non concessum. Dein notetur circumlocutio *τύχαι τινὲς τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων* pro *τύχαι τινὲς τῆς πόλεως* s. *περὶ τὴν πολιτείαν.* Talis periphrasis frequens est in Epistola, ut p. 326 E: *τῶν*

νῦν γεγονότων πραγμάτων περὶ Δίωνα. p. 339 C: οὐδέν σοι τῶν περὶ Δίωνα ἕξει πραγμάτων .... κατὰ νοῦν γιγνόμενον. p. 340 A: ἔδωκε τι μέρος αἰδοῖ τῶν περὶ ἐμὲ πραγμάτων. et paulo post B: δεικνύναι δὴ δεῖ τοῖς τοιούτοις, ὅ τι ἔστι πᾶν τὸ πρᾶγμα οἷόν τε καὶ δι' ὅσων πραγμάτων καὶ ὅσον πόνον ἔχει, ubi δι' ὅσων πραγμάτων et ὅσον πόνον ἔχει mera est tautologia.

Deinde mentionem facit rerum commutationis Athenis factae, constitutis triginta tyrannis; in quibus commemorandis quae de civitatis statu narrat eiusmodi sunt, ut dubites num scriptor ea probe cognita habuerit. De quo infra. Tum autem de se ita pergit:

τούτων δή τινες οἰκεῖοί τε ὄντες καὶ γνώριμοι ἐτύγχανον ἐμοὶ, καὶ δὴ καὶ παρεκάλουν εὐθὺς ὡς ἐπὶ προσήκοντα πράγματα μέ. Καὶ ἐγὼ θαυμαστὸν οὐδὲν ἔπαθον ὑπὸ νεότητος, ᾠήθην γὰρ αὐτοὺς ἔκ τινος ἀδίκου βίου ἐπὶ δίκαιον τρόπον ἄγοντας διοικήσειν δὴ τὴν πόλιν, ὥστε αὐτοῖς σφόδρα προσεῖχον τὸν νοῦν τί πράξοιεν.

Pro ὡς ἐπὶ προσήκοντα πράγματα μέ dicere debuit, id quod voluit, παρεκάλουν ἐμὲ ὡς προςήκοντα ἐπὶ τὰ πράγματα. Platonem enim ad publica negotia vocabant optimates propinqui ut propinquum (ὡς προσήκοντα), non ut talem cui negotia illa maxime convenirent. In verbis ἔκ τινος ἀδίκου βίου quis non sentit inepte additum illud τινος? Eleganter saepe additur cum vi intendendi, talibus nimirum vocabulis quorum species vel gradus aliqui esse possunt, ut ἀμήχανός τις, φαῦλός τις, ἄτοπός τις; possunt enim esse plures ἀτοπίας et φαυλότητος formae et gradus; sed quum loquor de *justo*, *injusto*, *honesto*, *inhonesto*, haec eiusmodi additamentum non facile admittunt. Verum illud τις est una e voculis

istis, quibus noster, dum Atticus vult videri, mirifice abutitur. E multis exemplis pauca afferam. p. 324 C: *καὶ τῆς μεταβολῆς εἷς καὶ πεντήκοντά τινες ἄνδρες προὔστησαν ἄρχοντες.* 325 B: *οὐδέν τι θαυμαστὸν ἦν τιμωρίας ἐχθρῶν γίγνεσθαί τινων τισι μείζους*, et statim deinceps: *κατὰ δέ τινα τύχην αὖ τὸν ἑταῖρον ἡμῶν Σωκράτη, τοῦτον δυναστεύοντές τινες εἰσάγουσιν.* p. 338 D: *ἄλλοι τέ τινες ἦσαν, Δίωνος τε ἄττα διακηκόοτες, καὶ τούτων τινὲς ἄλλοι παρακουσμάτων τινῶν ἔμμεστοι.* Etiam in libris de Legibus, quod opus scriptor Epistolarum VII et VIII accurate lectitasse videtur, pronomen *τις* sexcenties per pleonasmum positum esse observavit Zeller, Platonische Stud. p. 92. Unum exemplum afferam, III. p. 702 B: *ἐγώ τιν' ὦ ξένε, μοὶ δοκῶ κατανοεῖν. ἔοικε κατὰ τύχην τιν' ἡμῖν τὰ τῶν λόγων ... γεγονέναι ... καὶ κατά τιν' αὖ καιρὸν σύ τε παραγέγονας καὶ Μέγιλλος ... καὶ πρὸς* (*πως*?) *οἰωνόν τινα ποιοῦμαι.* At in omnibus his *τις* suam servat vim; in Epistola saepe inepte ponitur.

Ceterum si conformationem sententiae attendas, animadvertes verba: *καὶ ἐγὼ θαυμαστὸν οὐδὲν ἔπαθον ὑπὸ νεότητος· ᾠήθην γὰρ κτἑ*, plane concinere cum priore sententia: *νεὸς ἐγώ ποτ' ὢν πολλοῖς δὴ ταὐτὸν ἔπαθον· ᾠήθην κτἑ.* Eiusmodi dictionum similitudo frequens est in nostro et puerilem quandam affectationem prodit. Mirum autem quantopere delectetur verbo *θαυμαστός*. p. 326 A: *ἄνευ παρασκευῆς θαυμαστῆς τινός*. ibid. C: *οὕτω θαυμαστῇ φύσει.* 330 A: *θαυμαστῶς ὡς ἀσπάζεται*, et paucis verbis post *θαυμαστῶς ἐφιλονείκει.* 338 B: *ὡς Διονύσιος θαυμαστῶς φιλοσοφίας ἐν ἐπιθυμίᾳ εἴη γεγονώς.* 339 B: *ὡς θαυμαστὸν ὅσον Διον. ἐπιδεδωκὼς εἴη πρὸς φιλοσοφίαν.* 340 C: *ὁδόν τε ἡγεῖται θαυμαστὴν ἀκηκοέναι.* 345 C: *πῶς ἂν μὴ θαυ-*

μαστὸς ὢν ἄνθρωπος. 351 D: *πάθος ἂν ἴσως οὐ θαυμαστὸν εἰ πάθοι.* Plurima eiusmodi exaggerata dicta offerunt Epistolae, uti p. 327 C: *βίον ἀμήχανον μακαριότητι.* p. 351 E: *Σικελίαν πένθει περιβαλὼν μυρίῳ*: quibus vix aliud manifestius fraudis indicium reperias.

Sequuntur haecce: *καὶ ὁρῶν δήπου τοὺς ἄνδρας ἐν χρόνῳ ὀλίγῳ χρυσὸν ἀποδείξαντας τὴν ἔμπροσθεν πολιτείαν τά τ' ἄλλα καὶ φίλον ἄνδρα ἐμοὶ πρεσβύτερον Σωκράτη, ὃν ἐγὼ σχεδὸν οὐκ ἂν αἰσχυνοίμην εἰπὼν δικαιότατον εἶναι τῶν τότε, ἐπί τινα τῶν πολιτῶν μεθ' ἑτέρων ἔπεμπον βίᾳ ἄξοντα ὡς ἀποθανούμενον, ἵνα δὴ μετέχοι τῶν πραγμάτων αὐτοῖς εἴτε βούλοιτο εἴτε μή· ὁ δὲ οὐκ ἐπείθετο, πᾶν δὲ ἐκινδύνευσε παθεῖν πρὶν ἀνοσίων αὐτοῖς ἔργων γενέσθαι κοινωνός. ἃ δὴ πάντα καθορῶν καὶ εἴ τιν' ἄλλα τοιαῦτα οὐ σμικρά, ἐδυσχέρανά τε καὶ ἐμαυτὸν ἐπανήγαγον ἀπὸ τῶν τότε κακῶν.*

Totum locum descripsi, ut animadvertatur anacoluthon quo sententia laborat; prius vero quam id ostendam, alia quaedam notanda. *Χρυσὸν ἀποδείξαντας τὴν ἔμπροσθεν πολιτείαν* haud invenuste dictum est ad significandum praesentem reipublicae administrationem tam perversam fuisse, ut prior rerum status aureum saeculum (merum aurum) videretur. Hemsterhusius ad Luciani Necyom. c. 4 (vol. 1. p. 460), qui plura huius dictionis exempla e Luciano, Eunapio, Plutarcho, Dione Cassio, exhibet, monet ductam esse ab Euripide Troad. vs. 432, ubi Cassandra in Ulixem dicit:

> *ὡς χρυσὸς αὐτῷ τἀμὰ καὶ Φρυγῶν κακὰ*
> *δόξει ποτ' εἶναι.*

Unde et in hac epistola et ceteris in locis pro adjectivo (*χρυσῆν*) reponendum censet substantivum *χρυσόν*, cui adstipulatur Cobetus in Var. Lect. p. 236 et suffraga-

tur Platonis codex Parisinus A. Idem flosculus reddendus scriptori qui epistolographo nostro aetate proximus, Manethoni apud Ioseph. c. Apion. I, 26, ubi simili sensu hoc dicto utitur: *οἱ δὲ Σολυμῖται . . . οὕτως ἀνοσίως τοῖς ἀνθρώποις προσηνέχθησαν, ὥστε τὴν τῶν προειρημένων κράτησιν χρυσὸν φαίνεσθαι.* Ibi perperam auctore Havercampio novissima edit. *χρυσὸν* mutavit in *χειρίστην.*

Ceterum hic quoque non pauca sunt supervacua, quae melius abessent, ut illud *φίλον ἄνδρα ἐμοὶ πρεσβύτερον Σωκράτη,* quasi cuiquam aequalium, qui Socratem et Platonem nossent, illum natu maiorem fuisse ignotum esse posset; tum illud *ἐπί τινα τῶν πολιτῶν μεθ' ἑτέρων ἔπεμπον;* denique *οὐ σμικρὰ* insolite additum verbis *εἴ τιν' ἄλλα τοιαῦτα.* In his autem: *ὃν σχεδὸν οὐκ ἂν αἰσχυνοίμην εἰπὼν δικαιότατον εἶναι τῶν τότε,* praeterquam quod *σχεδὸν* valde friget, verbum *αἰσχυνοίμην* ineptum est. Quid enim dedecoris aut pudoris habere poterat, si Socratem omnium qui tunc erant civium justissimum appellabat? Requirebatur pro hoc *οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι.* Non semel in usu huius verbi peccant Epistolae, ut III, p. 317 B: *αἰσχύνομαι δὴ λέγειν ὅσαι τότε ἐπιστολαὶ παρὰ σοῦ καὶ παρ' ἄλλων ἦλθον,* pro quo sensus flagitabat *αἰδοῦμαι.* Sunt autem verba illa manifeste imitatio eorum quae in extrema Phaedonis pagina leguntur: *ἥδε ἡ τελευτὴ ἀνδρὸς, ὡς ἡμεῖς φαῖμεν ἂν, τῶν τότε ὧν ἐπειράθημεν ἀρίστου καὶ ἄλλως φρονιμωτάτου καὶ δικαιοτάτου.* Epistolae imitatio firmat lectionem *τῶν τότε,* quae interpretes nonnullos offendit. Quod in extrema sententia legitur: *ἐμαυτὸν ἐπανήγαγον ἀπὸ τῶν τότε κακῶν,* non recte dictum opinor. *Ἐπανάγειν* significat *ἀνάγειν ἐπί τι, proferre* vel *referre ad, in,* et ita fere *εἰς, ἐπὶ, πρὸς* adjuncta

habet, ut *ἐπανάγειν πρὸς τὸ φῶς* (Legg. IV. 724 A), *proferre in lucem; ἐπανάγειν εἰς τὴν οἰκίαν, reducere in aedes;* idem valet de similibus dicompositis, *ἐπαναφέρω, ἐπαναβαίνω, ἐπανέρχομαι, ἐπάνειμι.* In Alcib. II, p. 140 D adjunctum quidem habet *ἀπό*: *οὐκοῦν ἀπ' ἐκείνου πάλιν ἐπανέλθωμεν,* at ibi subauditur *ἐπὶ τὴν ἀρχήν, ab hoc rursus ad principium revertamur,* hic vero positum est pro *avocavi* sive *retraxi me ab istis negotiis.* Crederet quis forsitan esse errorem librarii pro *ἀπανήγαγον*; verum compositis cum *ἀνὰ* raro praefigitur *ἀπό.*

Venio ad anacoluthon. Quisquis locum attente legerit, animadvertet male copulata esse haec duo membra: *ὁρῶν δήπου τοὺς ἄνδρας . . . χρυσὸν ἀποδείξαντας* et *Σωκράτη . . . ἔπεμπον,* pro quo dictum oportuerat: *ἀποδείξαντας . . . καί ποτε Σωκράτη . . . πέμψαντας.* Corrigi quodammodo sententia posset inserendo *ὅτε,* hoc modo: *τά τ' ἄλλα καὶ ὅτε Σ. ἔπεμπον.* Sed a tali emendationis conatu retinet me quod toties scriptor in verborum constructione, inscitia dicam an de industria, peccat; dum gratam affectat negligentiam, mutilat periodos. Exemplo sint p. 344 E: *φιλοτιμίας αἰσχρᾶς εἴπερ ἕνεκα . . . ἧς οὐκ ἄξιος ἦν ἀγαπῶν δόξαν τὴν τῆς μετοχῆς γενομένην,* ubi desideratur apodosis. p. 348 B: *ἀπορῶν δὲ Θεοδότην μεταπεμψάμενος εἰς τὸν κῆπον· ἔτυχον δὲ ἐν τῷ κήπῳ καὶ ἐγὼ τότε περιπατῶν· τὰ μὲν οὖν ἄλλα οὔτ' οἶδα κτἑ.* ubi pro participio *μεταπεμψάμενος* requirebatur verbum finitum. Huiusmodi anacoluthis scatet epistola.

Paulo post indignam Socratis necem notat his verbis: *ἀπέκτειναν τὸν τότε τῆς ἀνοσίου ἀγωγῆς οὐκ ἐθελήσαντα μετασχεῖν περὶ ἕνα τῶν τότε φευγόντων φίλων, ὅτε φεύγοντες ἐδυστύχουν αὐτοί.* Quales verborum argutiae! Quam

quaesita polyptota: *τὸν τότε — τῶν τότε, Φευγόντων Φίλων — Φεύγοντες αὐτοί.* Postremum hoc verbum iteratum est mutata significatione: *ἕνα τῶν Φευγόντων Φίλων* dicit unum ex *accusatis*, Leontem Salaminium, eum quem Socrates a tyrannis jussus erat *ἀγαγεῖν εἰς τὴν θόλον* (Apol. p. 32 C.); *ὅτε Φεύγοντες ἐδυστύχουν αὐτοὶ* sunt qui tum *exsules* erant. Plena est epistola huiusmodi rhetorum figuris et flosculis. Exemplum huic satis simile legitur p. 351 D: *διευλαβούμενος δὲ μὴ παθεῖν, ὅμως ἔπταισεν... θαυμαστὸν παθὼν οὐδέν· ὅσιος γὰρ ἀνὴρ ἀνοσίων πέρι, σώφρων τε καὶ ἔμφρων, τὸ μὲν ὅλον οὐκ ἄν ποτε διαψευσθείη τῆς ψυχῆς τῶν τοιούτων πέρι, κυβερνήτου δὲ ἀγαθοῦ πάθος ἂν ἴσως οὐ θαυμαστὸν εἰ πάθοι κτέ.*

Quae attuli satis ostendunt, quantopere initium hujus epistolae a Platonica dicendi elegantia et sanitate distet. Rhetoricae argutiae, inanis verborum redundantia, periodi male compositae, verba impropria aut insolita: omnibus huiusmodi vitiis scatent quos tractavimus loci.

Quae in sequentibus Plato de se ipse scribit, de cogitationibus suis et consiliis de republica, de primo et altero itinere in Italiam et Siciliam, de consuetudine sua cum Dione et Dionysio, de casibus qui, Dione in exsilium misso, ipsi in aula Dionysii degenti obtigerunt, ea primum inspicienti forsitan gravitate sententiarum et verborum flumine ac nitore commendare se videantur, qui vero attentius legerit, continuo sentiet ea non germanum Platonicae dictionis colorem, sed fucatam potius speciem referre. Lubet exempli gratia nonnullos excerpere locos, quibus hoc judicium confirmetur.

Pag. 327 B laudat Dionem adolescentem, quod, simu-

lac Platonis disciplinam gustasset, aulicae vitae luxuriem exosus modestiorem vivendi rationem esset amplexus; eo autem factum ut in aulicorum hominum odium et invidiam inciderit: (Δίων) τὸν ἐπίλοιπον βίον ζῆν ἠθέλησε ... ἀρετὴν περὶ πλείονος ἡδονῆς ... ἀγαπηκώς, ὅθεν ἐπαχθέστερον τοῖς περὶ τὰ τυραννικὰ νόμιμα ζῶσιν ἐβίω μεχρὶ τοῦ θανάτου τοῦ περὶ Διονύσιον γενομένου. Quem in his non advertit pravus usus praepositionis περί? Primum mále usurpatum est in verbis περὶ πλείονος ἀγαπηκώς: dicitur περὶ πολλοῦ, περὶ πλείονος ποιεῖσθαι, ἡγεῖσθαι, non περὶ πλείονος τιμᾶν, ἀγαπᾶν; deinde pro περὶ τὰ τυρ. νόμιμα ζῆν dici debuit κατὰ τὰ τ. ν. ζῆν, *secundum tyranni leges* vel *jussa;* denique τοῦ περὶ Διονύσιον γενομένου θανάτου est inelegans circumlocutio pro μεχρὶ τοῦ Διονυσίου θανάτου. Mirum est quantopere scriptor noster delectetur istius praepositionis usu, quam ubivis inculcare studet. Exempla quaedam afferam. p. 325 A: ἡ περὶ τὸ πράττειν τὰ κοινὰ ἐπιθυμία. ibid. C: ἀνόσιος ἀγωγὴ περὶ ἕνα τῶν φίλων, ubi περὶ genitivi loco positum. p. 338 A: καθάπερ εἶπον, πρὶν ξυμβουλεύειν τοῖς οἰκείοις καὶ ἑταίροις τοῖς περὶ Δίωνα, h. e. Δίωνος, quod hic vitiosum, quia *mortui propinquos* significat. p. 340 B: ἐστί τις τρόπος τοῦ περὶ τὰ τοιαῦτα πεῖραν λαμβάνειν. Saepe iterat, ut p. 329 B: εὗρον στάσεως τὰ περὶ Διονύσιον μεστὰ ξύμπαντα καὶ διαβολῶν πρὸς τὴν τυραννίδα Δίωνος πέρι (num fortasse legendum πρὸς Δίωνα τῆς τυραννίδος πέρι?), quod significat: *omnem Dionysii aulam plenam criminationibus adversus Dionem de affectata tyrannide.* p. 331 A: ὅταν τίς μοι ξυμβουλεύηται περί τινος τῶν μεγίστων περὶ τὸν αὑτοῦ βίον, οἷον περὶ χρημάτων κτήσεως. p. 339 C: ἂν εἰς Σικελίαν ἔλθῃς, πρῶτον μέν σοι

quaesita polyptota: τὸν τότε — τῶν τότε, φευγόντων φίλων — φεύγοντες αὐτοί. Postremum hoc verbum iteratum est mutata significatione: ἕνα τῶν φευγόντων φίλων dicit unum ex *accusatis*, Leontem Salaminium, eum quem Socrates a tyrannis jussus erat ἀγαγεῖν εἰς τὴν θόλον (Apol. p. 32 C.); ὅτε φεύγοντες ἐδυστύχουν αὐτοὶ sunt qui tum *exsules* erant. Plena est epistola huiusmodi rhetorum figuris et flosculis. Exemplum huic satis simile legitur p. 351 D: διευλαβούμενος δὲ μὴ παθεῖν, ὅμως ἔπταισεν... θαυμαστὸν παθὼν οὐδέν· ὅσιος γὰρ ἀνὴρ ἀνοσίων πέρι, σώφρων τε καὶ ἔμφρων, τὸ μὲν ὅλον οὐκ ἄν ποτε διαψευσθείη τῆς ψυχῆς τῶν τοιούτων πέρι, κυβερνήτου δὲ ἀγαθοῦ πάθος ἂν ἴσως οὐ θαυμαστὸν εἰ πάθοι κτέ.

Quae attuli satis ostendunt, quantopere initium hujus epistolae a Platonica dicendi elegantia et sanitate distet. Rhetoricae argutiae, inanis verborum redundantia, periodi male compositae, verba impropria aut insolita: omnibus huiusmodi vitiis scatent quos tractavimus loci.

Quae in sequentibus Plato de se ipse scribit, de cogitationibus suis et consiliis de republica, de primo et altero itinere in Italiam et Siciliam, de consuetudine sua cum Dione et Dionysio, de casibus qui, Dione in exsilium misso, ipsi in aula Dionysii degenti obtigerunt, ea primum inspicienti forsitan gravitate sententiarum et verborum flumine ac nitore commendare se videantur, qui vero attentius legerit, continuo sentiet ea non germanum Platonicae dictionis colorem, sed fucatam potius speciem referre. Lubet exempli gratia nonnullos excerpere locos, quibus hoc judicium confirmetur.

Pag. 327 B laudat Dionem adolescentem, quod, simu-

lac Platonis disciplinam gustasset, aulicae vitae luxuriem exosus modestiorem vivendi rationem esset amplexus; eo autem factum ut in aulicorum hominum odium et invidiam inciderit: (Δίων) τὸν ἐπίλοιπον βίον ζῆν ἠθέλησε ... ἀρετὴν περὶ πλείονος ἡδονῆς ... ἀγαπηκώς, ὅθεν ἐπαχθέστερον τοῖς περὶ τὰ τυραννικὰ νόμιμα ζῶσιν ἐβίω μεχρὶ τοῦ θανάτου τοῦ περὶ Διονύσιον γενομένου. Quem in his non advertit pravus usus praepositionis περί? Primum male usurpatum est in verbis περὶ πλείονος ἀγαπηκώς: dicitur περὶ πολλοῦ, περὶ πλείονος ποιεῖσθαι, ἡγεῖσθαι, non περὶ πλείονος τιμᾶν, ἀγαπᾶν; deinde pro περὶ τὰ τυρ. νόμιμα ζῆν dici debuit κατὰ τὰ τ. ν. ζῆν, *secundum tyranni leges* vel *jussa;* denique τοῦ περὶ Διονύσιον γενομένου θανάτου est inelegans circumlocutio pro μεχρὶ τοῦ Διονυσίου θανάτου. Mirum est quantopere scriptor noster delectetur istius praepositionis usu, quam ubivis inculcare studet. Exempla quaedam afferam. p. 325 A: ἡ περὶ τὸ πράττειν τὰ κοινὰ ἐπιθυμία. ibid. C: ἀνόσιος ἀγωγὴ περὶ ἕνα τῶν Φίλων, ubi περὶ genitivi loco positum. p. 338 A: καθάπερ εἶπον, πρὶν ξυμβουλεύειν τοῖς οἰκείοις καὶ ἑταίροις τοῖς περὶ Δίωνα, h. e. Δίωνος, quod hic vitiosum, quia *mortui propinquos* significat. p. 340 B: ἐστί τις τρόπος τοῦ περὶ τὰ τοιαῦτα πεῖραν λαμβάνειν. Saepe iterat, ut p. 329 B: εὗρον στάσεως τὰ περὶ Διονύσιον μεστὰ ξύμπαντα καὶ διαβολῶν πρὸς τὴν τυράννιδα Δίωνος πέρι (num fortasse legendum πρὸς Δίωνα τῆς τυράννιδος πέρι?), quod significat: *omnem Dionysii aulam plenam criminationibus adversus Dionem de affectata tyrannide.* p. 331 A: ὅταν τίς μοι ξυμβουλεύηται περί τινος τῶν μεγίστων περὶ τὸν αὑτοῦ βίον, οἷον περὶ χρημάτων κτήσεως. p. 339 C: ἂν εἰς Σικελίαν ἔλθῃς, πρῶτον μέν σοι

τὰ περὶ Δίωνα ὑπάρξει ... εἰ δὲ μή, οὐδέν σοι τῶν περὶ Δίωνα ἕξει πραγμάτων οὔτε περὶ τἄλλα οὔτε περὶ αὐτὸν κατὰ νοῦν γιγνόμενα (l. *γιγνόμενον*). p. 351 D: *ὅσιος γὰρ ἄνθρωπος ἀνοσίων περὶ ... οὐκ ἄν ποτε διαψευσθείη τῆς ψυχῆς τῶν τοιούτων περί.* Nonne haec arguunt scriptorem sine judicio imperite Atticam loquendi consuetudinem affectantem? [1])

Attende porro quae sequuntur: *μετὰ δε τοῦτο διενοήθη μὴ μόνον ἐν αὐτῷ ποτ' ἂν γένεσθαι ταύτην τὴν διανοίαν, ἣν αὐτὸς ὑπὸ τῶν ὄρθων λόγων ἔσχεν, ἐγγιγνομένην δὲ αὐτὴν καὶ ἐν ἄλλοις ὁρῶν κατενόει, πολλοῖς μὲν οὔ, γιγνομένην δ' οὖν ἔν τισιν, ὧν καὶ Διονύσιον ἡγήσατο ἕνα γενέσθαι τάχ' ἂν ξυλλαμβανόντων θεῶν, γενομένου δ' αὖ τοῦ τοιούτου τόν τε αὐτοῦ βίον καὶ τὸν τῶν ἄλλων Συρακουσίων ἀμήχανον ἂν μακαριότητι ξυμβῆναι γενόμενον.*

Sensus quidem non valde obscurus est, quem Ficinus libere sic reddidit: „Postea vero animadvertit eam sententiam, quam ipse rectis conceperat rationibus, non in se uno solum, verum etiam in aliis, licet non multis, exsistere posse, in quorum numero Dionysium juniorem, Diis bene juvantibus, sperabat fore; quod si accideret, et ille ipse et ceteri Syracusani mirificam felicitatem nanciscerentur." Verum oratio impedita est tum inanibus verbis tum perversa ac quaesita verborum constructione. Clare et simpliciter ita scripsisset, opinor: *διενοήθη ταύτην τὴν διανοίαν, ἣν αὐτὸς ... ἔσχεν, οὐ μόνον ἐν αὐτῷ ἀλλὰ κἂν*

---

1) Zeller, Plat. Stud. p. 93, notat etiam in libris de Legg. justo saepius inveniri periphrasin per praepositionem *περί*. Quod autem citat exemplum, IV, 720 E., item quae collegit Astius in Animadv. de Legg. p. 48 et 138, ad quem ille lectores ablegat, non probant Platonem hac circumlocutione perperam usum esse.

ἑτέροις τισί ποτ' ἂν γενέσθαι, ὧν καὶ Διονύσιον τάχ' ἂν ξυλλαμβανόντων θεῶν ἕνα ἔσεσθαι· γενομένου δὲ τούτου, τόν τε αὐτοῦ βίον καὶ τὸν τῶν ἄλλων Συρακουσίων μακάριον ἔσεσθαι. Studet scriptor numeroso et faceto verborum circuitu et concursu aures delectare, at inanem strepitum movet et sensum corrumpit. Animadverte sexies in una periodo variis formis repetitum idem verbum: *ποτ' ἂν γενέσθαι — ἐγγινομένην δ' αὐτὴν — γιγνομένην δ' οὖν — γενέσθαι τάχ' ἄν, γενομένου δ' αὖ — ξυμβ. γενόμενον.* Verba *ἐγγιγνομένην ... ὁρῶν κατενόει* male cohaerent cum ceteris et constructionem turbant. Deinde notanda est insulsa hyperbola in *ἀμήχανον μακαριότητι.* Socrates quidem in Apologia p. 41 C ita loquitur, de animorum statu post mortem disserens, quum dicit sperare se ibi in colloquium venturum cum optimis et sapientissimis omnis aevi viris, *οἷς διαλέγεσθαι ... ἀμήχανον ἂν εἴη εὐδαιμονίας πάντως;* sed putare se legibus et institutis quamvis optimis afferre mortalibus posse *βίον ἀμήχανον μακαριότητι*, id vani potius hominis est quam *φιλοσόφου.* Denique notetur circumlocutio *ξυμβῆναι γενόμενον* scriptori nimis frequens, e. g. p. 328 A: *ἐλπὶς πᾶσα ... τοὺς αὐτοὺς φιλοσόφους τε καὶ πόλεως ἄρχοντας ξυμβῆναι γενομένους.* Vitiose prorsus p. 330 B: *ὁ πρῶτος δὴ χρόνος ... διὰ πάντα ταῦτα ξυνέβη γενόμενος*, quod scilicet significat: ***primum tempus ... his rebus transactum est.*** Cf. p. 332 C. Epist. VIII, p. 353 B, D. Simili macrologia verbo *γίγνεσθαι* etiam in aliis locutionibus utitur, e. g. p. 336 B: *δόξα, ἥπερ ἂν .... παρὰ πᾶσιν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀνθρώποις ἀπέσωσε* (*ἀνέζωσε* seu *ἀνέζησε?*) *γενομένη.* p. 339 C: *οὐδέν σοι τῶν περὶ Δίωνα ἕξει πραγμάτων ... κατὰ νοῦν γιγνόμενον.* p. 347 E: *μεχρὶ δὴ τούτων ταύτῃ μοι βεβοηθημένον ἐγέγονει φιλοσοφίᾳ*

καὶ φίλοις. p. 349 A: δοκεῖ ... ταύτῃ πῃ γεγονέναι φανερὸς ἀποτετραμμένος, pro δοκεῖ ταύτῃ πῃ ἀποτετράφθαι. p. 338 B: ὡς ... φιλοσοφίας ἐν ἐπιθυμίᾳ πάλιν εἴη γεγονώς. Talia, quae apud bonos scriptores raro se offerunt, noster studiose sectatur.

Postquam dixit qualis esset Dionis animus, narrat eum, mortuo Dionysio, huius filio suasisse ut protinus se (Platonem) arcesseret, ipsumque per literasse rogasse ut veniret. Exponit haec talibus verbis, p. 327 D-328 A:

Καὶ αὐτὸς (ὁ Δίων) *ἐδεῖτο* πέμπων ἥκειν (sc. ἐμὲ) ὅτι τάχιστα *ἐκ παντὸς τρόπου*, πρίν τινας ἄλλους ἐντυχόντας Διονυσίῳ ἐπ' ἄλλον βίον αὐτὸν τοῦ βελτίστου παρατρέψαι. *λέγων* δὲ τάδε *ἐδεῖτο*, εἰ καὶ μακρότερα εἰπεῖν· „Τίνας γὰρ καιρούς, ἔφη, μείζους περιμενοῦμεν τῶν νῦν παραγεγονότων θείᾳ τινὶ τύχῃ;" *καταλέγων* δὲ τήν τε ἀρχὴν τῆς Ἰταλίας καὶ Σικελίας καὶ τὴν αὐτοῦ δύναμιν ἐν αὐτῇ καὶ τὴν νεότητα καὶ τὴν ἐπιθυμίαν τὴν Διονυσίου, φιλοσοφίας τε καὶ παιδείας ὡς ἔχοι *σφόδρα*, *λέγων* τούς τε αὐτοῦ ἀδελφιδοῦς καὶ τοὺς οἰκείους, ὡς *εὐπαράκλητοι* εἶεν πρὸς τὸν ὑπ' ἐμοῦ λεγόμενον ἀεὶ *λόγον* καὶ *βίον* ἱκανώτατοί τε Διονύσιον ξυμπαρακαλεῖν, ὥστε, εἴπερ ποτέ, καὶ νῦν ἐλπὶς πᾶσα ἀποτελεσθήσεται τοῦ τοὺς αὐτοὺς φιλοσόφους τε καὶ πόλεων ἄρχοντας μεγάλων ξυμβῆναι γενομένους.

Quisque haec legens et attendens verba quae distinxi statim animadvertat languidam juncturam in ἐδεῖτο — λέγων δὲ τάδε ἐδεῖτο — καταλέγων — λέγων. Quum autem dixit τάδε ἐδεῖτο, εἰ καὶ μακρότερα εἰπεῖν, nemo non exspectet se totam Dionis orationem vel epistolam ipsius verbis auditurum; at statim post primum enunti-

atum, quasi promissi oblitus, vela contrahit et orationis eius summarium tantum affert, inde a verbis: *καταλέγων δὲ τήν τε ἀρχὴν τῆς Ἰταλίας κτέ.* Simili modo infra p. 339 B citatur Dionysii ad Platonem epistola: *πρὸς γὰρ δὴ πάντα ταῦτα ἦν παρεσκευασμένη (-ην) τὴν ἀρχὴν ἔχουσα ἡ ἐπιστολὴ τῇδέ πῃ Φράζουσα· „Διονύσιος Πλάτωνι·" τὰ νόμιμα ἐπὶ τούτοις εἰπὼν, οὐδὲν τὸ μετὰ τοῦτο εἶπε πρότερον ἢ ὡς ἂν εἰς Σικελίαν πεισθεὶς ὑφ' ἡμῶν ἔλθῃς τὰ νῦν κτέ.* Incipit quasi totam epistolam ipsis verbis descripturus; sed post inscriptionem *Διονύσιος Πλάτωνι* et *τὰ νόμιμα ἐπὶ τούτοις εἰπών*, quo nihil significatur nisi verbum *χαίρειν*, statim in indirectam orationem delabitur et summam tantum epistolae cum lectore communicat. Praeterea aliae sunt verborum ambages: *ἐκ παντὸς τρόπου* additum verbis *ὅτι τάχιστα* inepta est abundantia: nam unus tantum erat *τρόπος* ex Attica in Siciliam veniendi, h. e. navi. Eodem pleonasmo usus est paulo ante, p. 327 C: *ᾠήθη δεῖν ἐκ παντὸς τρόπου εἰς Συρ. ὅτι τάχιστα ἐλθεῖν ἐμέ.* Arguit hoc putidum imitatorem Platonis, qui saepius hac formula utitur, sed recte, veluti Euthyd. p. 382 A: *δεῖ δὴ ἐκ παντὸς τρόπου ἅπαντ' ἄνδρα τοῦτο παρασκευάζεσθαι, ὅπως ὡς σοφώτατος ἔσται*: *omni modo*, sunt enim varii modi sapientiae assequendae. De Rep. VI, 499 A: *ζητεῖν μὲν τὴν ἀλήθειαν ξυντεταμένως ἐκ παντὸς τρόπου*: diversae quippe sunt indagandae veritatis viae. Etiam alias huiusmodi locutiones a Platone desumtas noster inepte inserit, ut *κατὰ τρόπον*, p. 330 D: *κατὰ τρόπον ὀρθῇ πορευομένης ὁδῷ τῆς πολιτείας*: *κατὰ τρόπον* significat *consentaneo modo, rite;* jam quod *ὀρθῇ ὁδῷ πορεύεται* hoc sane *κατὰ τρόπον πορεύεται.* Ibidem paulo post pro hoc ponit *ἔν τινι τρόπῳ*, p. 331 B: *ἂν μέν μοι τὸ καθ' ἡμέ-*

ραν ἔν τινι τρόπῳ δοκεῖ ζῆν, h. e. *satis bene.* Dein attendenda est dictio: τὴν ἐπιθυμίαν τὴν Διονυσίου φιλοσοφίας καὶ παιδείας ὡς ἔχοι σφόδρα: additum σφόδρα obscuram facit verborum juncturam; dubites enim utrum genitivi pendeant a voce ἐπιθυμίαν an a sequente ὡς σφόδρα ἔχοι. Posterius certe voluit scriptor, sed ut recte dixisset παιδείας ὡς ἔχοι, *quomodo se haberet ad doctrinam*, quemadmodum πῶς ἔχει, εὖ ἔχει cum genitivo jungi solet, ita insolite adjecit illud σφόδρα. Inepta denique est verborum copulatio: ὡς εὐπαράκλητοι εἶεν πρὸς τὸν ὑπ' ἐμοῦ λεγόμενον ἀεὶ λόγον καὶ βίον. Nam ὁ ἀεὶ ὑπ' ἐμοῦ λεγόμενος λόγος idem est atqne ὁ ἀεὶ λεγόμενος βίος: intelligit eam vitam quam modo memoravit dicens de Dionysio, εἰς ἐπιθυμίαν ἐλθεῖν αὐτὸν τοῦ καλλίστου καὶ ἀρίστου βίου. Dicere potuerat τὸν ἀεὶ λεγ. λόγον περὶ τοῦ ἀρίστου βίου, sed λόγος καὶ βίος inepte copulantur. Etiam alibi inepte paria verborum componuntur, velut p. 325 D, ubi τοῖς τῶν πατέρων ἤθεσι καὶ ἐπιτηδεύμασιν opponuntur τὰ τῶν νόμων γράμματα καὶ ἔθη, quo significari videntur οἱ νόμοι καὶ τὰ ἔθη, *leges scriptae* et *mores.* p. 328 D: οὐχ ὁπλιτῶν δεόμενος οὐδ' ἵππεων .... ἀλλὰ λόγων καὶ πειθοῦς, quae parum apte junguntur; melius fuerat διδαχῆς καὶ πειθοῦς. Nostro loco etiam notandum, verbum εὐπαράκλητος in Platone non legi. Quid autem dicendum de hac structura: ἐλπὶς πᾶσα ἀποτελεσθήσεται τοῦ κτἑ. pro quo recte Stephanus sic legi oportere monuit: ἐλπὶς πᾶσα ἀποτελεσθήσεσθαι τὸ τοὺς αὐτοὺς ... ξυμβῆναι γενομένους. Utrum vero hoc sit scriptoris vitium an librarii, dijudicare vix ausim.

Talia Dio. Ad haec personatus Plato reponit, quae difficultates se ab itinere deterrerent, p. 328 B: τὴν δ'

ἐμὴν δόξαν, τὸ μὲν περὶ τῶν νέων ὅπη ποτὲ γενήσοιτο εἶχε φόβος, . . . τὸ δὲ Δίωνος ἦθος ἠπιστάμην τῆς ψυχῆς πέρι φύσει τε ἐμβριθὲς ὂν τῆς τε ἡλικίας ἤδη μετρίως ἔχον. ὅθεν μοι σκοπουμένῳ καὶ διστάζοντι, πότερον εἴη πορευτέον ἢ πῶς, ὅμως ἔρρεψε δεῖν, εἴ ποτέ τις τὰ διανοηθέντα περὶ νόμων τε καὶ πολιτείας ἀποτελεῖν ἐγχείρησοι, καὶ νῦν πειρατέον εἶναι.

Quam parum accurate noster cogitata enuntiare solitus sit exemplo sunt denuo prima verba: *τὴν δ' ἐμὴν δόξαν — εἶχε φόβος*, pro *ἐμὲ σκοπούμενον — εἶχε φόβος*: non enim opinionem alicuius invadit metus, sed ipsos cogitantes metus subit. Aeque putida periphrasis est in Epist. III, p. 317 E: *ὡς ἡ ἐμὴ δόξα μαντεύεται*. In sequentibus verba *τῆς ψυχῆς πέρι*, *quod ad animum attinet*, inepte et prave esse assuta quis non statim animadvertit? Si vero cum plerisque codicibus omittatur vocabulum *ἦθος*, etiam peior fit verborum constructio. Postrema, *ἔρρεψε δεῖν — πειρατέον εἶναι*, non uno laborant vitio: *δεῖν* tam absurde abundat ut potius credam esse scribae lapsum pro *δοκεῖν*; sed *ἔρρεψε* impersonale positum insolens est. Pro hoc dici oportuerat: *μοι σκοπουμένῳ . . . ἔρρεψεν ἡ γνώμη ἐπὶ τὸ δοκεῖν πειρατέον εἶναι*, *cogitanti mihi animus inclinavit in eam opinionem, rem experiendam esse.*

Mox rhetorico artificio rem ornat. Fingit Dionem exsulem ad se confugere et his verbis se alloqui, p. 328 D: *Ὦ Πλάτων, ἥκω σοι φυγάς, οὐχ ὁπλιτῶν δεόμενος οὐδ' ἱππέων ἐνδεὴς γενόμενος τοῦ ἀμύνασθαι τοὺς ἐχθρούς, ἀλλὰ λόγων καὶ πειθοῦς*. Lubenter fictis orationibus et colloquiis Epistolographus noster scriptionem ornat, quae sane egregium campum rhetori aperiebant artem suam

ostentandi. Praeter hunc locum splendidum orationis exemplum est Epist. VIII, p. 355. Colloquia inseruntur p. 346 A: Ἐμοὶ καί σοι, Δίων, ἔφη, κτέ. ibid. D: Φέρε, εἰ διανοεῖται κτέ. praecipue p. 348 C: Πλάτων γάρ, ἔφη, et quae sequuntur. Cf. Epist. III, p. 319.[1]) Non opus esse putavi totum locum describere, ipsum initium jam satis declamatorem olet. „Venio ad te, inquit, o Plato, non peditibus armatis egens nec equitum indigus ad defendendos inimicos, sed verborum et persuasionis." Putes eum alloqui non philosophum in horti umbra degentem, sed principem aliquem civitatis aut regem, qui magnis exercitibus imperaret. Omitto inanes et frigidas verborum repetitiones et antitheses: δεόμενος, ἐνδεὴς γενόμενος, ὁπλιτῶν οὐδ' ἱππέων, λόγων καὶ πειθοῦς (postremum hoc modo attigi); paulo post iterantur κατὰ τὸ σὸν μέρος et μέρος ὅσον ἐπί σοι γέγονεν, et passim alia, quae quisque admonitus sponte animadvertat.

Absoluta autem Dionis oratione, sic pergit: Λεχθέντων δὲ τούτων τίς ἂν ἦν μοι πρὸς ταῦτα εὐσχήμων ἀπόκρισις; οὐκ ἔστιν (ἦν), ἀλλ' ἦλθον μὲν κατὰ λόγον ἐν δίκῃ τε ὡς οἷόν τε ἀνθρώπῳ μάλιστα. Quae verborum ampullae! Grandiora etiam sunt quae sequuntur: ἐλθών τε ἐμαυτὸν ἠλευθέρωσα Διὸς ξενίου καὶ φιλοσόφου ἀνέγκλητον μοίρας παρέσχον. Dicere vult: „proficiscendo Syracusas debitum et amicitiae et philosophiae officium persolvi:" pro quo τραγικῶς dicit: „liberavi me religione et Iovis hospitalis et divae philosophiae." Nam ἡ φιλόσοφος μοῖρα posita juxta Δία ξένιον significare videtur ***numen tute-***

1) Zeller, Platon. Stud. p. 79, eiusdem artificii studium in Platonis Legibus reperisse sibi videtur.

lare philosophiae. Dissimiles sunt dictiones quae cum hac comparat Astius Lex. Platon. s. v. in quibus *μοῖρα* appositi nominis amplificatio quaedam est, ut in Phil. p. 60 B: *ἡ τοῦ ἀγαθοῦ μοῖρα* pro *τὸ ἀγαθόν*. de Legg. II, 656 B: *ὡς ἐν παιδιᾶς μοίρᾳ*, *quasi per jocum.* Constructio *ἀνέγκλητός τινος* vix graeca est; dicendum pro hoc erat *ἀνεγκλητός τινι* vel *πρός τινα.*

§ 3.

De sententiis et verbis a Platone desumtis.

Jam supra monui epistolam hanc refertam esse verbis et sententiis quae Platonicae orationis colorem imitantur, quod neminem qui Platonis scripta vel leviter attigerit fugere potest. [1]) Imitatio haec efficit ut, si quis leviter hanc epistolam percurrat, facile Platonis manum agnoscere sibi videatur, qui vero attento animo et adhibito judicio legat, manifestis indiciis imitatorem deprehendat. Itaque qua dexteritate et quo judicio noster in imitando Platone usus sit, lubet uno et altero exemplo declarare.

Eligo locum qui legitur p. 330 D. Auctor Dionis amicis consilium daturus de ordinanda Syracusarum civitate, incipit longo prooemio, quo exponit quam viam in consilio dando sequendam censeat. *λέγω δὴ τάδε· Ἐγὼ τὸν ξυμβουλεύοντα ἀνδρὶ κάμνοντι καὶ δίαιταν διαιτωμένῳ μοχθηρὰν πρὸς ὑγιείαν ἄλλο τι χρὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν μεταβάλλειν*

---

1) Nonnulla eius generis passim indicarunt Ast, Salomon, alii, quae magno numero possunt augeri.

τὸν βίον καὶ ἐθέλοντι μὲν πείθεσθαι καὶ τἄλλα ἤδη παραινεῖν, μὴ ἐθέλοντι δὲ φεύγοντα ἀπὸ τῆς τοῦ τοιούτου ξυμβουλῆς ἄνδρα τε ἡγοίμην ἂν καὶ ἰατρικὸν, τὸν δὲ ὑπομένοντα τοὐναντίον ἄνανδρόν τε καὶ ἄτεχνον. ταὐτὸν δὴ καὶ πόλει, εἴτε αὐτῆς εἷς εἴη κύριος εἴτε καὶ πλείους, εἰ μὲν κατὰ τρόπον ὀρθῇ πορευομένης ὁδῷ τῆς πολιτείας ξυμβουλεύοιτό τι τῶν προσφόρων, νοῦν ἔχοντος τὸ τοῖς τοιούτοις ξυμβουλεύειν, τοῖς δὲ ἔξω τὸ παράπαν βαίνουσι τῆς ὀρθῆς πολιτείας καὶ μηδαμῇ ἐθέλουσιν αὐτῆς εἰς ἴχνος ἰέναι, προαγορεύουσι δὲ τῷ ξυμβούλῳ τὴν μὲν πολιτείαν ἐᾶν καὶ μὴ κινεῖν, ὡς ἀποθανουμένῳ ἐὰν κινῇ, ταῖς δὲ βουλήσεσι καὶ ἐπιθυμίαις αὐτῶν ὑπηρετοῦντας ξυμβουλεύειν κελεύουσι, τίνα τρόπον γίγνοιτ' ἂν ῥᾷστά τε καὶ τάχιστα εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον, τὸν μὲν ὑπομένοντα ξυμβουλὰς τοιαύτας ἡγοίμην ἂν ἄνανδρον, τὸν δ' οὐχ ὑπομένοντα ἄνδρα.

Sapientis consultoris sicut prudentis medici officium esse dicit, consilia dare rogantibus et obsequi cupientibus; qui vero spernant monita vel iis parere recusent, ab istorum curatione desistendum esse.

Longus essem si notare vellem negligentias, sordes, vitia denique quae in hoc loco insunt, quorum ut nonnulla scribis imputanda sint, pleraque tamen scriptori debentur. Manifeste corruptum est initium. Ἐγὼ caret praedicato, *φημὶ* vel *οἶμαι*, quod aut excidit aut tacite supplendum est e sequentis membri verbo *ἡγοίμην ἄν*. Prius probabile opinor; facillime corrigatur *ἐγῷμαι*. Dein verba *ἄλλο τι χρὴ* omni sensu carent. Mendum sic emendandum puto: *ἢ ἄλλο τι χρῆναι*, ut hic sit ordo: *ἐγῷμαι τὸν ξυμβ. ἀνδρὶ . . . δίαιταν διαιτ. μοχθηρὰν πρὸς ὑγιείαν ἢ ἄλλο τι, χρῆναι . . . παραινεῖν.* Istud *ἄλλο τι* spectet ad animum et ad rem familiarem, ut in sequente enuntiato

(331 A): ὅταν τίς μοι ξυμβουλεύηται περί τινος τῶν μεγίστων, ... οἷον περὶ χρημάτων κτήσεως ἢ περὶ σώματος ἢ ψυχῆς ἐπιμελείας. Hermannus locum sanare conatus est sic legendo: λέγω δὴ τάδ' ἐγώ, τὸν ξυμβουλεύοντα ... πρὸς ὑγιείαν ὅτι χρὴ κτέ. Parum recte, opinor; certe λέγω δὴ τάδε sunt verba quae praefatur; sententiam dicere incipit a verbo Ἐγώ. Cetera vitia sive in ordine et junctura sive in verbis eiusmodi sunt, ut potius pravae sedulitati quam incuriae tribuenda sint. Πρῶτον μὲν non habet δεύτερον quod ipsi respondeat; scribi oportuit πρῶτον μὲν αὐτὸν μεταβάλλειν τὸν βίον ... εἶτα τἆλλα ἤδη παραινεῖν. Simile est τὸ πρῶτον quod supra legitur p. 328 D, et infra p. 331 D. Quis porro non animadvertit anacoluthon μὴ ἐθέλοντι δὲ, quod pendet ab intellecto οὐ χρῆναι παραινεῖν; sed scriptor quum subjungit verba καὶ τὸν Φεύγοντα ἀπὸ κτέ. mutavit orationis ordinem. Rursus in sequente enuntiato: ταὐτὸν δὴ καὶ πόλει ... εἰ μὲν ξυμβουλεύοιτο ... τοῖς τοιούτοις ξυμβουλεύειν, incipit a voce πόλει, cui deinde substituit τοῖς τοιούτοις. Proximis verbis τοῖς δ' ἔξω τὸ παράπαν βαίνουσι τῆς ὀρθῆς πολιτείας quum subjungitur τὸν μὲν ὑπομένοντα ξυμβουλὰς τοιαύτας ἡγοίμην ἂν ἄνανδρον, eo fit ut dativus τοῖς ἔξω βαίνουσι non habeat quo referatur; mutata est rursus oratio pro: τοῖς δ' ἔξω βαίνουσι — τὸν μὲν ξυμβουλεύοντα ἡγοίμην ἂν ἄνανδρον. Huiusmodi anacolutha ut singula ferri possunt, ita cumulata molesta sunt et mutilam atque hiantem reddunt orationem. Sed omissis aliis quae attentum lectorem non fugient, ostendam qua ratione et in quibus Platonem imitatus sit.

Comparat scriptor consultorem cum medico, civitatem male moratam cum aegroto. Comparatio frequens est apud

Platonem. In Theaeteto, p. 167 A, Protagoras sapientem et medicum in eo convenire dicit quod uterque immutet hominem, *ὁ μὲν ἰατρὸς φαρμάκοις μεταβάλλει, ὁ δὲ σοφιστὴς λόγοις*. In Politico, p. 297 E, boni imperantis *εἰκόνας* esse dicit *τὸν γενναῖον κυβερνήτην καὶ τὸν ἑτέρων πολλῶν ἀντάξιον ἰατρόν*. Noster uti h. l. *ἰατροῦ*, ita *κυβερνήτου* imagine utitur infra p. 351 D. Similiter insipientes homines et male moratae civitates saepe comparantur cum aegrotantibus. Classicus locus est de Rep. IV. p. 425 E sqq. qui eiusmodi verbis conceptus est ut facile appareat nostrum inde sua compilasse: *λέγεις βιώσεσθαι τοὺς τοιούτους* (libidinosos dicit) *ὥσπερ τοὺς κάμνοντάς τε καὶ οὐκ ἐθέλοντας ὑπ' ἀκολασίας ἐκβῆναι πονηρᾶς διαίτης*. Cum his concinunt plane epistolae verba: *ἀνδρὶ κάμνοντι καὶ δίαιταν διαιτωμένῳ μοχθηράν*. Deinde similitudinem transfert ad civitates depravatas, p. 426 B: *ἢ οὐ φαίνονταί σοι ταὐτὸν ἐργάζεσθαι τούτοις* (sc. *τοῖς κάμνουσι*) *τῶν πόλεων ὅσαι κακῶς πολιτευόμεναι προαγορεύουσι τοῖς πολίταις τὴν μὲν κατάστασιν τῆς πόλεως ὅλην μὴ κινεῖν, ὡς ἀποθανούμενος* (*-μένῳ*? ita credo; terminatio *-νος* facile nata e sq. *ὃς*) *ὃς ἂν τοῦτο δρᾷ· ὃς δ' ἂν σφᾶς οὕτω πολιτευομένους ἥδιστα θεραπεύῃ καὶ χαρίζηται ὑποτρέχων καὶ προγιγνώσκων τὰς σφετέρας βουλήσεις καὶ ταύτας δεινὸς ᾖ ἀποπληροῦν, οὗτος ἄρα ἀγαθός τ' ἔσται ἀνὴρ καὶ σόφος*. Cum his si conferimus haec epistolae verba: *τοῖς δ' ἔξω τὸ παράπαν βαίνουσι... προαγορεύουσι δὲ τῷ ξυμβούλῳ*, similitudo utriusque loci talis est ut nemini dubium esse queat quin alter ex altero sit expressus, iisque collatis simul quid auctorem et imitatorem intersit apparet. In Platonis verbis omnia dilucide, limate, eleganter dicta sunt; in epistola omnia ambagibus plena,

obscure aut inepte enuntiata. Pro eo quod Plato dicit: *προαγορεύουσι τὴν κατάστασιν ὅλην μὴ κινεῖν, ὡς ἀποθανουμένῳ ὃς ἂν τοῦτο δρᾷ*, epistola: *προαγορεύουσι τὴν μὲν πολιτείαν ἐᾶν καὶ μὴ κινεῖν, ὡς ἀποθανουμένῳ ἐὰν κινῇ*: addit synonymum *ἐᾶν*, omittit autem id in quo vis est, *ὅλην*: non enim vetant quidquam in republica mutare (ita quippe non opus esset consultore), sed vetant *summam* reipublicae mutare. Pro *βουλήσεσιν* epistola rursus duo vocabula *βουλήσεις καὶ ἐπιθυμίας*. In ultimis epistolae verbis: *τίνα τρόπον γίγνοιτ' ἂν ῥᾷστά τε καὶ τάχιστα εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον*, verbum *γίγνοιτ' ἂν* caret subjecto et dubites quid subaudiendum sit: an nova civitatis *κατάστασις*? at nolunt quidquam tangi; an *τὸ ὑπηρετεῖν ταῖς βουλήσεσιν*? Tandem *γίγνεσθαι εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον* non modo *ὑπερβολικῶς* dictum, sed etiam vitiose. Scriptor nimirum ampliora facere voluit verba Platonis: *ὃς δ' ἂν σφᾶς ἥδιστα θεραπεύῃ κτέ.*, at inepta affinxit. Similiter paulo ante, quum dixit *τοῖς δ' ἔξω βαίνουσι* (pro hoc Plato solet dicere *ἐκβῆναι*) *τῆς ὀρθῆς πολιτείας*, id amplificat addendo *καὶ μηδαμῇ ἐθέλουσιν αὐτῆς εἰς ἴχνος ἰέναι*: flosculus additus e Platone, sed parum apte: nam *ἔξω τὸ παράπαν βαίνειν* multo fortius est quam *μηδαμῇ εἰς ἴχνος ἰέναι*, quare hoc illi appositum languet. Praeterea usitatum est Platoni *ἴχνος* vel *ἴχνη μετιέναι, μεταθεῖν*, *vestigia sequi, sectari, indagare;* dicitur etiam *κατ' ἴχνη*. Polit. 301 E: *δεῖ δὴ ξυνελθόντας ξυγγράμματα γράφειν, ὡς ἔοικε, μεταθέοντας τὰ τῆς ἀληθεστάτης πολιτείας ἴχνη*. Phaed. p. 115 B: *ὥσπερ κατ' ἴχνη κατὰ τὰ νῦν εἰρημένα καὶ τὰ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ ζῆν*. Quod noster dixit *εἰς ἴχνος ἰέναι* pro *vestigiis insistere*, est insolitum. Dictiones *κατὰ τρόπον* et *ἔν τινι τρόπῳ* supra attigi.

His dictis, quam ipse in dandis consiliis rationem sit secutus exponit his verbis: *Ταύτην δὴ τὴν διανοίαν ἐγὼ κεκτημένος, ὅταν τίς μοι ξυμβουλεύηται περί τινος τῶν μεγίστων περὶ τὸν αὑτοῦ βίον, οἷον περὶ χρημάτων κτήσεως ἢ περὶ σώματος ἢ ψυχῆς ἐπιμελείας, ἂν μέν μοι τὸ καθ' ἡμέραν ἔν τινι τρόπῳ δοκῇ ζῆν ἢ ξυμβουλεύσαντος ἂν ἐθέλειν πείθεσθαι περὶ ὧν ἀνακοινοῦται, προθύμως ξυμβουλεύω καὶ οὐκ ἀφοσιωσάμενος μόνον ἐπαυσάμην· ἐὰν δὲ μὴ ξυμβουλεύηταί μοι τὸ παράπαν ἢ ξυμβουλεύοντι δῆλος ᾖ μηδαμῇ πεισόμενος, αὐτόκλητος ἐπὶ τὸν τοιοῦτον οὐκ ἔρχομαι ξυμβουλεύσων, βιασόμενος δὲ οὐδ' ἂν υἱὸς ᾖ μου· δούλῳ δὲ ξυμβουλευσαίμην καὶ μὴ ἐθέλοντά γε προσβιαζοίμην, πατέρα δ' ἢ μητέρα οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι προσβιάζεσθαι μὴ νόσῳ παραφροσύνης ἐχομένους. ἐὰν δέ τινα καθεστῶτα ζῶσι βίον ἑαυτοῖς ἀρέσκοντα, ἐμοὶ δὲ μή, μήτε ἀπεχθάνεσθαι μάτην νουθετοῦντα μήτε δὴ κολακεύοντά γ' ὑπηρετεῖν αὐτοῖς, πληρώσεις ἐπιθυμιῶν ἐκπορίζοντα ἃς αὐτὸς ἀσπαζόμενος οὐκ ἂν ἐθέλοιμι ζῆν. ταὐτὸν δὴ καὶ περὶ πόλεως αὑτοῦ διανοούμενον χρὴ ζῆν τὸν ἔμφρονα· λέγειν μέν, εἰ μὴ καλῶς αὐτῷ φαίνοιτο πολιτεύεσθαι, εἰ μέλλοι μήτε ματαίως ἐρεῖν μήτε ἀποθανεῖσθαι λέγων, βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν, ὅταν ἄνευ φυγῆς καὶ σφαγῆς ἀνδρῶν μὴ δυνατὸν ᾖ γίγνεσθαι τὴν ἀρίστην, ἡσυχίαν δ' ἄγοντα εὔχεσθαι τἀγαθὰ αὐτῷ τε καὶ τῇ πόλει.*

Apparet hic mutatis verbis iterari quae modo dicta sunt. Postquam generatim praecepit, quid bono consiliario faciendum, quid cavendum sit, nunc se istam viam in dandis consiliis secutum esse, quod paucis sane verbis absolvere poterat, ampla oratione edocet. Prioris enuntiati initio *ἐγὼ τὸν ξυμβουλεύοντα ἀνδρὶ κάμνοντι* cet. respondet hoc: *ἐγὼ ὅταν τίς μοι ξυμβουλεύηται κτἑ.*;

alteri eiusdem enuntiati membro *ταὐτὸν δὴ καὶ πόλει* opponitur hocce: *ταὐτὸν δὴ καὶ περὶ πόλεως αὐτοῦ.* Totus autem locus tanta laborat verborum prolixitate, tot ambagibus et inanibus additamentis, ut legenti non possint non taedium facere. Animadvertatur modo in priore loci parte septies legi *ξυμβουλεύειν* et *ξυμβουλεύεσθαι*, variis modis et formis.

Ceterum in hoc quoque loco clara exstant Platonicae imitationis vestigia. Initium, *περὶ χρημάτων κτήσ. ἢ περὶ σώματος ἢ ψυχῆς ἐπιμελείας*, in memoriam revocat quae leguntur de Legg. III, 697 D, ubi dicit civibus et legislatori primo loco ponenda esse *τὰ περὶ τὴν ψυχὴν ἀγαθά, . . . δεύτερα δὲ τὰ περὶ τὸ σῶμα καλὰ κἀγαθά, καὶ τριτὰ τὰ περὶ τὴν οὐσίαν καὶ χρήματα λεγόμενα.* Deinde verba: *αὐτόκλητος . . . οὐκ ἔρχομαι ξυμβουλεύσων, βιασόμενος δὲ οὐδ' ἂν υἱὸς ᾖ μου, δούλῳ δὲ . . . . προσβιαζοίμην, πατέρα δ' ἢ μητέρα οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι προσβιάζεσθαι*, et deinceps: *βίαν δὲ πατρίδι . . . μὴ προσφέρειν*, ea sponte in mentem nobis revocant illustrem locum Criton. p. 51 C, ubi loquentes inducuntur *οἱ Νόμοι*, qui docent, singulari civi patriae sub legibus nato et educato non aequale jus esse cum patria, non magis quam cum parentibus aut cum domino; quare si patria aliquid jubet quod iniquum tibi videatur, licere, si possis, *πείθειν αὐτὴν ᾗ τὸ δικαῖον πέφυκε*, at non licere eius jussis obsistere; vim vero inferre patriae, id plane nefas esse: *βιάζεσθαι δ' οὐχ ὅσιον οὔτε μητέρα οὔτε πατέρα, πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν πατρίδα.* Quae hic de obtemperando patriae aeque ac parentum jussis dicuntur, in epistola transferuntur ad consilia patriae vel parentibus danda.

Iam persequamur cogitationem ordinem, qui valde in-

concinnus et impeditus est. Attende hanc sententiam: *ἐὰν δὲ μὴ ξυμβουλεύηται — πεισόμενος, αὐτόκλητος — οὐκ ἔρχομαι, βιαζόμενος δὲ οὐδ' ἂν υἱὸς ᾖ μου.* In protasi duo ponuntur, unum: „si quis omnino non consulit sapientem," alterum: „si consulit quidem, at non obsequendi voluntate;" distincte haec sic enuntiasset: *ἐὰν δε μὴ ξυμβουλεύηταί μοι τό παράπαν, ἢ ξυμβουλευόμενος δῆλος ᾖ μηδαμῇ πεισόμενος ξυμβουλεύοντι.* His autem in apodosi subjiciunter haec: *αὐτόκλητος ἐπὶ τὸν τοιοῦτον οὐκ ἔρχομαι*: ad quemnam spectat *τὸν τοιοῦτον*? nimirum ad priorem, *τὸν μὴ ξυμβουλευόμενον*; quod autem addit *βιαζόμενος δὲ οὐδ' ἂν υἱὸς ᾖ μου*, ad quemnam hoc spectat? non sane ad eundem: quî enim cogere possis, quem ne adeas quidem? sed ad alterum, *τὸν ξυμβουλεύοντι μὴ ἐθέλοντα πείθεσθαι.* Vide igitur, quam parum distincte et concinne cogitata enunciaverit, quae clare sic eloqui potuerat: „Si quis aut omnino me non consulit aut consulens ostendit se obsequi mihi nolle, illum ultro non adeo, hunc obtemperare non cogo, ne si filius quidem meus sit." Quod autem inserit: *δούλῳ δὲ ξυμβουλεύσαιμ' ἂν καὶ μὴ ἐθέλοντά γε προσβιαζοίμην*, est pannus non solum inutilis, sed qui etiam male divellit ambo haec membra: *οὐδ' ἂν υἱὸς ᾖ μου* et *πατέρα δ' ἢ μητέρα οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι προσβιάζεσθαι*; quorum posterius nemo requireret si abesset: quod enim in filium facere reformides, hoc multo minus erga parentes committas. Ineptum vero est quod adjicit: *εἰ μὴ νόσῳ παραφροσύνης ἐχομένους*, quod scriptori suggessit fortasse locus de Legg. IX, 881 B: *ὃς ἂν τολμήσῃ πατέρα ἢ μητέρα ἢ τούτων πατέρας καὶ μητέρας τύπτειν, μὴ μανίαις ἐχόμενος*: verum erga insanientes nullus sermo esse potest de vita ad recti

normam instituenda, sive id per vim fiat sive consilio dando. Adde quod *παραφροσύνη* hic positum est pro *ἀφροσύνη* sive *μανία*: illud *amentia* est, hoc *insania*, quod h. l. significatur. Sunt et alia a Platone desumta: *οὐκ ἀφοσιωσάμενος μόνον ἐπαυσάμην*, h. e. *non obiter tantum, quasi ut animum religione solvam.* Plato de Legg. VI, 752 D: *Φημὶ ... χρῆναι ... μὴ μόνον ἀφοσιώσασθαι περὶ τῆς χώρας ἣν νῦν κατοικίζετε, ξυντόνως δ' ἐπιμεληθῆναι κτἑ.* Male autem additum *ἐπαυσάμην.*

Dictum *αὐτόκλητος ἐπὶ τὸν τοιοῦτον οὐκ ἔρχομαι* non vacat aliqua superbia. Petitum videtur ex eo quod praecipitur de Rep. VI, p. 488 A: *οὐ γὰρ ἔχει φύσιν — τοὺς σοφοὺς ἐπὶ τὰς τῶν πλουσίων θύρας ἰέναι.* Sed aliud est praecepta dare perfectae civitati consentanea, aliud in communi vitae usu normam agendi sibi praescribere. Quod autem noster omnino reprobat *τὸ βιάζεσθαι*, in hoc a Platonis sententia aberravit, certe non congruit cum iis quae Plato in Politico p. 296 dicentem facit hospitem Eleaticum: principis et legislatoris esse cogere, si opus est, cives ad honestatem colendam: *βιάζεσθαι παρὰ τὰ γεγραμμένα καὶ πάτρια δρᾶν ἕτερα δικαιότερα καὶ ἀμείνω καὶ καλλίω τῶν ἔμπροσθεν.* Quodsi vero singula vellem excutere, vix finem invenirem. Attende tantum cumulationem genitivorum: *βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν.* Optimi scriptores, etiam Plato, talem constructionem non vitant, sed quod ceteri non fugiunt, hic de industria sectatur; accedit quod *βία μεταβολῆς πολιτείας* pro *βίαιος πολιτείας μεταβολὴ* est sane quaesitum aeque ac quod supra legitur p. 324 B: *ὁ τρόπος τῆς γενέσεως αὐτῆς (τῆς διανοίας).*

Iam ex his exemplis efficere licet, qua arte et quo judicio scriptor noster in imitando Platone usus sit. Uti autem Platonis scripta mira se commendant stili varietate, oratio modo lepore et venustate insignis est, modo gravitate et altitudine, modo subtilis est et sedata, ita scriptor noster operam dedit ut in hac epistola cuiusvis dicendi generis quasi specimina insereret; verum ita hoc fecit ut ab imitatore exspectare licet: quum sublimis esse vult, fit inflatus, quum venustus, fit affectatus. Exempla quaedam hoc illustrabunt.

Celsioris dicendi generis exemplum petam ex eodem loco ubi Dionis amicis consilia dat. Memorata tristi Dionis vitae exitu, haec subjicit, p. 334 C: *Ταῦτ' εἴρηται. πάντα τῆς ξυμβουλῆς ἕνεκα τῶν Διωνείων φίλων καὶ ξυγγενῶν· ξυμβουλεύω δὲ δή τι* (l. *ἔτι*) *πρὸς τούτοις τὴν αὐτὴν ξυμβουλὴν καὶ λόγον τὸν αὐτὸν λέγων ἤδη τρίτον τρίτοις ὑμῖν· μὴ δουλοῦσθαι Σικελίαν ὑπ' ἀνθρώποις μηδ' ἄλλην πόλιν, ὅ γ' ἐμὸς λόγος, ἀλλ' ὑπὸ νόμοις· οὔτε γὰρ τοῖς δουλουμένοις οὔτε τοῖς δουλωθεῖσιν ἄμεινον, αὐτοῖς καὶ παισὶ παίδων τ' ἐκγόνοις, ἀλλ' ὀλέθριος πάντως ἡ πεῖρα· σμικρὰ δὲ καὶ ἀνελεύθερα ψυχῶν ἤθη τὰ τοιαῦτα ἁρπάζειν κέρδη φιλεῖ, οὐδὲν τῶν εἰς τὸν ἔπειτα καὶ εἰς τὸν παρόντα καιρὸν ἀγαθῶν καὶ δικαίων εἰδότα, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων. Ταῦτα πρῶτον μὲν Δίωνα ἐγὼ ἐπεχείρησα πείθειν, δεύτερον δὲ Διονύσιον, τρίτους δ' ὑμᾶς νῦν, καί μοι πείθεσθε Διὸς τρίτου σωτῆρος χάριν, εἶτ' εἰς Διονύσιον βλέψαντες καὶ Δίωνα, ὧν ὁ μὲν μὴ πειθόμενος ζῇ τὰ νῦν οὐ καλῶς, ὁ δὲ πειθόμενος τέθνηκε καλῶς.*

Referta haec sunt poëticis dictionibus, ut *τῶν Διωνείων*

φίλων, quod conveniens esset, si Dio fuisset caput scholae sive familiae, ut Πυθαγόρειοι, Ἡρακλείτειοι, Σωκράτειοι; hic tantum est periphrasis pro τῶν Δίωνος φίλων. Huiusmodi est ὁ Λαβδάκειος παῖς, Sophocl. Oed. R. 267. ὁ Ἡράκλειος σύμμαχος, Eurip. Heracl. 457. Βερενικεία θυγατήρ, Theocr. Id. XV, 110. Verba οὔτε τοῖς δουλώσασιν ἄμεινον sonant etiam poëticum; Homericum οὐ γὰρ ἄμεινον. Quam belle denique sibi oppununtur illa: ὁ μὲν ζῇ οὐ καλῶς, ὁ δὲ τέθνηκε καλῶς; num tamen vere hoc dictum sit dubito. Ut enim de Dionysio concedatur illud ζῇ οὐ καλῶς, de Dione vix concedi potest τέθνηκε καλῶς: qui scilicet perfida amici manu, inspicientibus suis, nemine auxiliante, in cubiculo obtruncatus erat. Etiamsi justa faciens mortuus sit, non tamen τέθνηκε καλῶς; rhetoricum hoc magis quam verum. Verba τὴν αὐτὴν ξυμβουλὴν καὶ λόγον τὸν αὐτὸν sunt inania synonyma: referta est oratio huiusmodi synonymis, quibus fortasse Platonicam orationis copiam assecuturum se putavit. Similia sunt quae mox sequuntur: σμικρὰ καὶ ἀνελεύθερα, τῶν εἰς τὸν ἔπειτα καὶ εἰς τὸν πάροντα καιρὸν cet. et θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων. In verbis τρίτον τρίτοις, illud τρίτον solum paronomasiae causa additum; nihil amplius dicit nisi quod postea legitur: ταῦτα πρῶτον μὲν . . . δεύτερον . . . τρίτους δὲ ὑμᾶς νῦν. ψυχῶν ἤθη est periphrasis quaesita pro ψυχαί, ut p. 328 B: τὸ Δίωνος ἦθος τῆς ψυχῆς πέρι. Sed venio ad illud: καί μοι πείθεσθε Διὸς τρίτου σωτῆρος χάριν. Ter quaterque illud repetitum τρίτος in hac sententia puerile elegantiae aucupium redolet. Spectat autem ad proverbium non semel a Platone usurpatum, τὸ τρίτον τῷ Σωτῆρι, quod dicitur, ut ait scholiasta ad Charmid. p. 167 A, ἐπὶ τῶν τελείως τι πραττόν-

Iam ex his exemplis efficere licet, qua arte et quo iudicio scriptor noster in imitando Platone usus sit. Uti autem Platonis scripta mira se commendant stili varietate, oratio modo lepore et venustate insignis est, modo gravitate et altitudine, modo subtilis est et sedata, ita scriptor noster operam dedit ut in hac epistola cuiusvis dicendi generis quasi specimina insereret; verum ita hoc fecit ut ab imitatore exspectare licet: quum sublimis esse vult, fit inflatus, quum venustus, fit affectatus. Exempla quaedam hoc illustrabunt.

Celsioris dicendi generis exemplum petam ex eodem loco ubi Dionis amicis consilia dat. Memorata tristi Dionis vitae exitu, haec subjicit, p. 334 C: *Ταῦτ' εἴρηται. πάντα τῆς ξυμβουλῆς ἕνεκα τῶν Διωνείων φίλων καὶ ξυγγενῶν· ξυμβουλεύω δὲ δή τι* (l. *ἔτι*) *πρὸς τούτοις τὴν αὐτὴν ξυμβουλὴν καὶ λόγον τὸν αὐτὸν λέγων ἤδη τρίτον τρίτοις ὑμῖν· μὴ δουλοῦσθαι Σικελίαν ὑπ' ἀνθρώποις μηδ' ἄλλην πόλιν, ὅ γ' ἐμὸς λόγος, ἀλλ' ὑπὸ νόμοις· οὔτε γὰρ τοῖς δουλουμένοις οὔτε τοῖς δουλωθεῖσιν ἄμεινον, αὐτοῖς καὶ παισὶ παίδων τ' ἐκγόνοις, ἀλλ' ὀλέθριος πάντως ἡ πεῖρα· σμικρὰ δὲ καὶ ἀνελεύθερα ψυχῶν ἤθη τὰ τοιαῦτα ἁρπάζειν κέρδη φιλεῖ, οὐδὲν τῶν εἰς τὸν ἔπειτα καὶ εἰς τὸν παρόντα καιρὸν ἀγαθῶν καὶ δικαίων εἰδότα, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων. Ταῦτα πρῶτον μὲν Δίωνα ἐγὼ ἐπεχείρησα πείθειν, δεύτερον δὲ Διονύσιον, τρίτους δ' ὑμᾶς νῦν, καί μοι πείθεσθε Διὸς τρίτου σωτῆρος χάριν, εἶτ' εἰς Διονύσιον βλέψαντες καὶ Δίωνα, ὧν ὁ μὲν μὴ πειθόμενος ζῇ τὰ νῦν οὐ καλῶς, ὁ δὲ πειθόμενος τέθνηκε καλῶς.*

Referta haec sunt poëticis dictionibus, ut *τῶν Διωνείων*

φίλων, quod conveniens esset, si Dio fuisset caput scholae sive familiae, ut Πυθαγόρειοι, Ἡρακλείτειοι, Σωκράτειοι; hic tantum est periphrasis pro τῶν Δίωνος φίλων. Huiusmodi est ὁ Λαβδάκειος παῖς, Sophocl. Oed. R. 267. ὁ Ἡράκλειος σύμμαχος, Eurip. Heracl. 457. Βερενικεία θυγατήρ, Theocr. Id. XV, 110. Verba οὔτε τοῖς δουλώσασιν ἄμεινον sonant etiam poëticum; Homericum οὐ γὰρ ἄμεινον. Quam belle denique sibi oppununtur illa: ὁ μὲν ζῇ οὐ καλῶς, ὁ δὲ τέθνηκε καλῶς; num tamen vere hoc dictum sit dubito. Ut enim de Dionysio concedatur illud ζῇ οὐ καλῶς, de Dione vix concedi potest τέθνηκε καλῶς: qui scilicet perfida amici manu, inspicientibus suis, nemine auxiliante, in cubiculo obtruncatus erat. Etiamsi justa faciens mortuus sit, non tamen τέθνηκε καλῶς; rhetoricum hoc magis quam verum. Verba τὴν αὐτὴν ξυμβουλὴν καὶ λόγον τὸν αὐτὸν sunt inania synonyma: referta est oratio huiusmodi synonymis, quibus fortasse Platonicam orationis copiam assecuturum se putavit. Similia sunt quae mox sequuntur: σμικρὰ καὶ ἀνελεύθερα, τῶν εἰς τὸν ἔπειτα καὶ εἰς τὸν πάροντα καιρὸν cet. et θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων. In verbis τρίτον τρίτοις, illud τρίτον solum paronomasiae causa additum; nihil amplius dicit nisi quod postea legitur: ταῦτα πρῶτον μὲν ... δεύτερον ... τρίτους δὲ ὑμᾶς νῦν. ψυχῶν ἤθη est periphrasis quaesita pro ψυχαί, ut p. 328 B: τὸ Δίωνος ἦθος τῆς ψυχῆς πέρι. Sed venio ad illud: καί μοι πείθεσθε Διὸς τρίτου σωτῆρος χάριν. Ter quaterque illud repetitum τρίτος in hac sententia puerile elegantiae aucupium redolet. Spectat autem ad proverbium non semel a Platone usurpatum, τὸ τρίτον τῷ Σωτῆρι, quod dicitur, ut ait scholiasta ad Charmid. p. 167 A, ἐπὶ τῶν τελείως τι πραττόν-

των, de iis qui tertio et ultimo loco aliquid faciunt: quam proverbii vim clare demonstrat locus Platonis de Legg. III, p. 692 A, ceterique citati ab Heindorfio ad Charmid. ll. Eodem spectat haec Epistola p. 340 A: *ἐλθὼν δ' οὖν τὸ τρίτον τῷ σωτῆρι, τοῦτο γ' οὖν ἔπραξα ὄντως*. Originem duxit hoc proverbium e triplici libatione quae finitis epulis institui solebat, quarum ultima fiebat in honorem *Διὸς σωτῆρος*. Vid. Schol. ad Pind. Isthm. IV, 10. Pierson ad Moer. p. 72. Inde apparet quam scite noster hoc proverbio usus sit, qui e *tertia* libatione in honorem Iovis servatoris fecit *tertium Iovem servatorem* (*Διὸς τρίτου σωτῆρος*).

His autem annectit sententiam de conditione post mortem. Sic pergit: *οὔτε γὰρ πέφυκεν ἀθάνατος ἡμῶν οὐδεὶς οὔτ', εἴ τῳ ξυμβαίη, γένοιτ' ἂν εὐδαίμων, ὡς δοκεῖ τοῖς πολλοῖς· κακὸν γὰρ καὶ ἀγαθὸν οὐδὲν λόγου ἄξιόν ἐστι τοῖς ἀψύχοις, ἀλλ' ἢ μετὰ σώματος οὔσῃ ψυχῇ τοῦτο ξυμβήσεται ἑκάστῃ ἢ κεχωρισμένῃ. πείθεσθαι δ' ὄντως ἀεὶ χρὴ τοῖς παλαιοῖς τε καὶ ἱεροῖς λόγοις, οἳ δὴ μηνύουσιν ἡμῖν ἀθάνατον ψυχὴν εἶναι δικαστάς τ' ἴσχειν καὶ τίνειν τὰς μεγίστας τιμωρίας, ὅταν τις ἀπαλλαχθῇ τοῦ σώματος· διὸ καὶ τὰ μεγάλα ἁμαρτήματα καὶ ἀδικήματα σμικρότερον εἶναι χρὴ νομίζειν κακὸν πάσχειν ἢ δρᾶσαι· ὧν δὴ φιλοχρήματος πένης τ' ἀνὴρ τὴν ψυχὴν οὔτ' ἀκούει, ἐάν τ' ἀκούσῃ, καταγελῶν, ὡς οἴεται, πανταχόθεν ἀναιδῶς ἁρπάζει πᾶν ὅ τι περ ἂν οἴηται, καθάπερ θηρίον, φαγεῖν ἢ πιεῖν ἢ περὶ τὴν ἀνδραποδώδη καὶ ἀχάριστον, ἀφροδίσιον λεγομένην οὐκ ὀρθῶς, ἡδονὴν ποριεῖν αὑτῷ τὸ μὴ πίμπλασθαι*, 1) *τυφλὸς ὢν καὶ οὐχ ὁρῶν*

1) Libri alii *τῷ μὴ πίμπλασθαι*, alii *τοῦ*, nonnulli omittunt *μή*. Dativus *τῷ*, quem plerique receperunt, non potest explicari, nisi suppleatur

οἷς ξυνέπεται τῶν πραγμάτων ἀνοσιουργία, κακὸν ἡλίκον ἀεὶ μετ' ἀδικήματος ἑκάστου, ἣν ἀναγκαῖον τῷ ἀδικήσαντι συνεφέλκειν ἐπί τε γῇ στρεφομένῳ καὶ ὑπὸ γῆς νοστήσαντι πορείαν ἄτιμόν τε καὶ ἄθλιον πάντως πανταχῇ.

Locum hunc esse pannum male adsutum cuique apparebit, qui seriem cogitationum attenderit. „Dionysius, dixit, turpiter vivit, Dio pulcre mortuus est, quippe honesta facere studens." His annectuntur sequentia per particulam *γὰρ* (*οὔτε γὰρ πέφυκεν ἀθάνατος*), quasi eo, quod improbos post mortem supplicia manent, probetur antecedens, Dionem pulcre mortuum esse. In iis vero quae subjicit de inferorum poenis, manifeste Platonis imitatorem se ostendit. Nam non solum omnia ea quae de animarum conditione post mortem, de judicio in inferis, de bonorun praemiis dicit, e Platonis dialogis, praecipue Gorgia, concinnata sunt, sed etiam more Platonis hanc disputationem connectit cum *παλαιοῖς λόγοις* et *ἀποῤῥήτοις*, ut in Phaed. p. 70 C: *παλαιός ἐστί τις λόγος οὗτος,. οὗ μεμνήμεθα κτἑ.* cf. ibid. p. 62 B. Tum quod inculcat, esse *σμικρότερον κακὸν πάσχειν ἢ δρᾶσαι ἄδικα*, idem docetur a Platone, at non eam ob causam, quam hic dicit, quod nempe judices in inferis injuste facta puniunt, sed quod injustitia ipsa animo morbum et perniciem affert. Vid. Plato de Rep. I, p. 345. X, p. 610. Criton. p. 47 D.

Attendamus vero singula. Primum enuntiatum *κακὸν γὰρ καὶ ἀγαθὸν κτἑ.* obscurum est. Voluit dicere hoc: *κακὸν καὶ ἀγαθὸν οὐδὲν λόγου ἄξιόν ἐστιν ἀλλ' ἢ τῇ ψυχῇ*, nul-

---

περαινομένην s. γιγνομένην τῷ (διὰ τοῦ) μὴ πίμπλασθαι. E conjectura scripsi τὸ μὴ πίμπλ. unde nascitur constructio quam infra dabo.

lum aut bonum aut malum alicuius est momenti nisi quod ad animum pertinet: pro simplici hoc enuntiato posuit antitheton: οὐ τοῖς ἀψύχοις, ἀλλὰ τῇ ψυχῇ. Quid significat τοῖς ἀψύχοις? lapides, plantas an bruta animalia? Tum τῇ ψυχῇ addit εἴτε μετὰ σώματος οὔσῃ εἴτε κεχωρισμένῃ (ἀπὸ σώματος): etiam haec antitheta hic parum apta: nam hoc demonstrare vult, *post mortem* demum separatum a corpore animum bona vel mala pati. Progredior ad ultimam periodum: ὧν δὴ Φιλοχρήματος cet., quae tam impedita est verborum ampullis tamque confusa, ut difficile sit sensum eruere. Constructio talis esse videtur: ὧν (sc. ἱερῶν λόγων) ὁ Φιλοχρήματος ἀνὴρ πένης τε τὴν ψυχὴν οὔτ' ἀκούει, ἐὰν τ' ἀκούσῃ, καταγελῶν, ὡς οἴεται, καθάπερ θηρίον ἁρπάζει ἀναιδῶς πανταχόθεν πᾶν, ὅ τι περ ἂν οἴηται πoριεῖν αὐτῷ φαγεῖν ἢ πιεῖν ἢ τὸ περὶ τὴν ἀνδραποδώδη καὶ ἀχάριστον ἡδονὴν (ἀφροδίσιον λεγομένην οὐκ ὀρθῶς) μὴ πίμπλασθαι. i. e. „avarus effata illa deridens s. contemnens, ut opinatur, undique impudenter rapit, sicut bellua, quidquid putat sibi suppeditare dapes aut potiones (φαγεῖν ἢ πιεῖν) aut veneris voluptate insatiabili frui.“ Obversatus est scriptori locus Phaedonis, p. 81 B, ubi ὁ Φιλοσώματος describitur, in quem ista melius sane congruunt quam in Φιλοχρήματον: huic, ait Plato, nihil videtur esse verum et solidum ἀλλ' ἢ τὸ σωματοειδὲς, οὗ τις ἂν ἅψαιτο καὶ ἴδοι καὶ πίοι καὶ φάγοι καὶ πρὸς τἀφροδίσια χρήσαιτο. Scriptor vero noster undique conquirendo verba quibus amplificetur oratio, tumidam eam et obscuram reddidit. Otiosum h. l. illud πένης τε τὴν ψυχήν. Tum offendit geminatum οἴεται, οἴηται, quorum prius, ὡς οἴεται, quo valeat subobscurum est; licet suspicari eum hoc voluisse: „deridens, ut putat,

effata illa, ipse potius deridendus propter dementiam." Dein pro *τὰ ἀφροδίσια* quam tumida circumlocutio *ἀνδραποδώδης καὶ ἀχάριστος ἡδονή*; quod addit *ἀφροδίσιος λεγομένη οὐκ ὀρθῶς*, est lepide dictum nostri scriptoris, Plato nusquam vulgari veneri 'Αφροδίτης nomen negavit, imo de Rep. III, 403 A, distinguit inter *τὸν ὀρθὸν ἔρωτα* et *ἡδονὴν τὴν περὶ τἀφροδίσια*, *purum amorem* et *vulgarem*. Denique, ne quid praetermisisse videatur, addit *τὸ μὴ πίμπλασθαι*, memor nimirum eorum quae in Gorgia leguntur, p. 493 E sq., ubi vita voluptaria vocatur *ὁ ἀπλήστως καὶ ὁ ἀκολάστως ἔχων βίος*, et talis animus comparatur cum dolio perforato, quod quis cogatur *ἀεὶ καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν πιμπλάναι*. Similiter in Ep. VIII, p. 354 C, voluptas vocatur *εὐδαιμόνισμα ἀπλήστως πεινώντων ἀνθρώπων*.

Haud lucidiora sunt quae sequuntur: *τυφλὸς ὢν καὶ οὐχ ὁρῶν οἷς ξυνέπεται τῶν πραγμάτων* (alii: *ἁρπαγμάτων*) *ἀνοσιουργία κτέ*. Intelligit autem non ea quae comitatur improbitas, sed quae improbitatem comitantur; ideo scribendum credo: *οἷα ξυνέπεται τῶν πραγμάτων ἀνοσιουργίᾳ*, quibus verbis explicationis gratia apponitur hoc: *κακὸν ἡλίκον ἀεὶ* (*ξυνέπεται*) *μετ' ἀδικήματος ἑκάστου*: „quae molestiae comitentur improbitatem, quantum malum conjunctum sit cum quoque maleficio." Hoc autem quale sit, significatur sequentibus: *ἣν* (*ἀνοσιουργίαν*) *ἀναγκαῖον τῷ ἀδικ. συνεφέλκειν ἐπί τε γῇ στρεφομένῳ καὶ ὑπὸ γῆς νοστήσαντι*: „quippe quum necesse sit injustum semper improbitatem velut onus secum trahere et in hac vita et post mortem." Etiam hoc verbum sumtum e Phaedonis loco modo laudato, ubi de animo justi dicitur, p. 80 E: *ἐὰν μὲν καθαρὰ ἀπαλλάττηται, μηδὲν τοῦ σώματος συνεφέλκουσα*. Etiam

vocabulum πορεία de migratione ad inferos Platoni frequens; vid. ibid. p. 115 A: οὕτω περιμένει τὴν εἰς Ἅιδου πορείαν. Contra verbum νοστεῖν poëticum est nec Platoni magis quam ceteris Atticis usitatum. Ultima verba πάντως πανταχῇ sunt inutile additamentum vel potius sonora clausula tumidam periodum apte finiens.

Locus quem tractavi exemplum est dicendi generis grandiloqui; sunt alii, in quibus scriptor Platonis elegantiam et venustatem in descriptionibus et sermonibus affectat. Eiusmodi est locus qui legitur p. 347 extr., qui huic disputationi colophonem imponat.

Laudata est ab omnibus dramatica Platonis ars qua in dialogis componendis usus est. Colloquia prorsus ad similitudinem familiaris vitae et consuetudinis Atticorum sunt composita; personae ita pinguntur ut eorum mores, sensus et affectus quasi cernas; locus ipse velut praesens ante oculos ponitur. Quibus rebus effectum est, ut Socratici dialogi non magis rerum et cogitationum copia quam poëtica venustate sint insignes et non immerito dramatum in numerum accenseantur. Epistolographus noster etiam hac in parte Platonis artem imitari voluisse videtur. Videamus, quomodo id ei successerit. Locus quem indicavi (p. 347 E) est epistolae quasi epilogus, quo ostenditur, quomodo simultas inter Platonem et Dionysium diu celata tandem in apertam inimicitiam eruperit. Scriptor hanc partem tanquam extremum fabulae actum pulcre exornare studuit.

Μέχρι μὲν δὴ τούτων ταύτῃ μοι βεβοηθημένον ἐγεγόνει φιλοσοφίᾳ καὶ φίλοις· τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἐζῶμεν ἐγὼ καὶ Διονύσιος, ἐγὼ μὲν βλέπων ἔξω καθάπερ ὄρνις ποθῶν ποθὲν

ἀνχπτέσθαι· ὁ δὲ (Διονύσιος) διαμηχανώμενος τίνα τρόπον ἀνασοβήσοι με μηδὲν ἀποδοὺς τῶν Δίωνος.

Imago avis in cavea inclusae num hic personae sit satis conveniens dubito. Petita est e Phaedro, p. 249 D, ubi anima, quae e terris ad coelestia evolare frustra cupit, dicitur ὄρνιθος δίκην βλέπειν ἄνω: pulcre sane et apte. Parechesis ποθῶν ποθὲν redolet facetiarum aucupem. Verbum ἀνασοβεῖν significat *feras* vel *aves exciere* (belgice *opjagen*). Lysis p. 206 A: ποῖός τις οὖν ἄν σοι δοκοῖ θηρευτὴς εἶναι, εἰ ἀνασοβοῖ θηρεύων καὶ δυσαλωτοτέραν τὴν ἄγραν ποιοῖ. Hic vero sensus postulat accipi pro *avolare cupientem retinere;* cuius significationis dubito num apud bonos scriptores exemplum inveniatur. Scriptor hic similiter lapsus videtur ut supra in verbo ἐπανάγειν (p. 325 A).

Brevi post erumpit mercenariorum seditio; rumor spargitur eam concitatam esse ab Heraclide, uno e belli ducibus; hic occultat se: Ἡρακλείδης ἐκποδὼν αὑτὸν ἔσχεν ἀφανῆ (notetur tautologia); Dionysius exquiri eum jubet; ἀπορῶν δὲ (Διονύσιος) Θεοδότην μεταπεμψάμενος εἰς τὸν κῆπον· ἔτυχον δ' ἐν τῷ κήπῳ κἀγὼ τότε περιπατῶν· τὰ μὲν οὖν ἄλλα οὔτ' οἶδα οὔτ' ἤκουον διαλεγομένων, ἃ δ' ἐναντίον εἶπε Θεοδότης ἐμοῦ πρὸς Διονύσιον οἶδά τε καὶ μέμνημαι. Notetur in transitu anacoluthon valde durum, quod tamen scriptori nostro elegans visum est: post participium μεταπεμψάμενος aut verbum requirebatur διελέγετο αὐτῷ, aut participii loco postulabatur verbum finitum μετεπέμψατο. Colloquii scena est ἐν τῷ κήπῳ, sicut in Epistola III, p. 319 A, ubi simile jurgium alia de re et coram aliis testibus dramatice proponitur. Plato forte ibi ambulans videt tyrannum cum Theodote colloquentem, sed non audit eorum sermonem: „quae vero coram me, inquit, Theodotes

ad Dionysium locutus est scio et memini." Pro hoc dicere debuit: „quae coram Dionysio ad me locutus est Theodotes scio et memini," ut e sequentibus fit manifestum. Bella profecto incuria! Sed scriptor noster verbis et vocibus intentus ad sensum parum attendit.

Sermo sic incipit: *Πλάτων γὰρ, ἔφη, Διονύσιον ἐγὼ πείθω τουτονὶ, ἐὰν ἐγὼ γένωμαι δεῦρο Ἡρακλείδην κομίσαι δυνατὸς ἡμῖν εἰς λόγους περὶ τῶν ἐγκλημάτων αὐτῷ τῶν νῦν γεγονότων, ἂν ἄρα μὴ δόξῃ δεῖν αὐτὸν οἰκεῖν ἐν Σικελίᾳ, τόν τε υἱὸν λαβόντα καὶ τὴν γυναῖκα ἀξιῶ εἰς Πελοπόννησον ἀποπλεῖν οἰκεῖν τε βλάπτοντα μηδὲν Διονύσιον ἐκεῖ, καρπούμενον δὲ τὰ ἑαυτοῦ. μετεπεμψάμην μὲν οὖν καὶ πρότερον αὐτὸν, μεταπέμψομαι δὲ καὶ νῦν, ἄν τ' οὖν ἀπὸ τῆς προτέρας μεταπομπῆς ἄν τε καὶ ἀπὸ τῆς νῦν ὑπακούσῃ μοι. Διονύσιον δ' ἀξιῶ καὶ δέομαι, ἄν τις ἐντυγχάνῃ Ἡρακλείδῃ ἐάν τ' ἐν ἀγρῷ ἐάν τ' ἐνθάδε, μηδὲν ἄλλο αὐτῷ φλαῦρον γίγνεσθαι, μεταστῆναι δ' ἐκ τῆς χώρας, ἕως ἂν ἄλλο τι Διονυσίῳ δόξῃ. Ταῦτα, ἔφη, συγχωρεῖς; λέγων πρὸς τὸν Διονύσιον. Συγχωρῶ, μηδ' ἂν πρὸς τῇ σῇ, ἔφη, φανῇ οἰκίᾳ, πείσεσθαι φλαῦρον μηδὲν παρὰ τὰ νῦν εἰρημένα.*

Vocabula et membra parum apte connexa interpretatione indigent ut probe intelligantur. [1]) „Plato, inquit, „ego Dionysio persuadeo (vult: suadeo) ut, si Hera„clidem adducere queam ut huc in colloquium nobis„cum veniat de crimininibus quae ei imputata sunt, et si, „*his cognitis, Dionysio* non placeat illum in Sicilia manere, „postulo *ut sinat* eum cum filio et uxore in Peloponne„sum navigare ibique habitare et reditibus suis frui, „ea conditione ut nihil contra Dionysium moliatur. Quare

1) Quae supplenda sunt distinctis literis notavi.

„arcessivi illum et iterum arcessam, si auscultare mihi „velit. Dionysium autem oro et flagito ut, si quis He„raclidi obviam fit vel ruri vel in urbe, nihil aliud „molestiae ei fieri sinat nisi ut exsulet e regione, donec „Dionysius aliter statuat. Hoc, inquit, Dionysium com„pellans, tu mihi promittis? Promitto, respondit, eum, „ne domi quidem tuae si deprehendatur, quicquam mali „passurum contra quod nunc pactum est."

Quicumque graeca verba legat, agnoscat bis terque relegenda esse ut sensum assequare. Causa obscuritatis posita partim in verborum ambagibus, ut in his: *ἐὰν ἐγὼ γένωμαι δεῦρο Ἡρ. κομίσαι δυνατὸς ἡμῖν εἰς λόγους*, pro *ἐὰν δύνωμαι πείθειν Ἡρακλείδην ἡμῖν εἰς λόγους ἐλθεῖν*; dein: *μετεπεμψάμην πρότερον, ... μεταπέμψομαι δὲ καὶ νῦν, ἄν τ' ἀπὸ τῆς προτέρας μεταπομπῆς ... ἄν τ' ἀπὸ τῆς νῦν*. Partim obscuritas oritur ex omissione nominum quae supplevi, partim denique e junctura membrorum impedita et ambigua, ut non sensum e verbis, sed e sensu verba explicare debeas. Velut in his: *ἂν ἄρα μὴ δόξῃ δεῖν αὐτὸν οἰκεῖν ἐν Σικελίᾳ*, post *δόξῃ* perspicuitas postulat inseri *Διονυσίῳ*, contra *δεῖν* melius abesset (cf. supra p. 45). Deinde quum jungit *αὐτὸν οἰκεῖν ἐν Σικ. τόν τε υἱὸν λαβόντα κ. τ. γυναῖκα ἀξιῶ εἰς Πελ. ἀποπλεῖν*, ambiguum est, utrum participium *λαβόντα* cum praegresso *οἰκεῖν* an cum sequente *ἀποπλεῖν* jungendum sit. Posterius suadet sensus. Sed maior obscuritas remanet. Incipit sic: *Διονύσιον ἐγὼ πείθω τουτονί, ἐάν* cet.; deinceps sic pergit: *τόν τε υἱὸν λαβόντα καὶ τὴν γυναῖκα ἀξιῶ (Ἡρακλείδην) εἰς Πελοπόννησον ἀποπλεῖν*. Scriptor hoc voluit dicere: „Dionysio persuadeo, si etc., eumque oro ut Heraclides in Peloponnesum naviget." Graeca verba

non solum obscura sunt ob omissum nomen Ἡρακλείδην, sed etiam prava laborant constructione. Verbum ἀξιῶ, quod proprie significat *aequum duco*, regit accusativum cum infinitivo: quare dici potest ἀξιῶ Ἡρακλείδην ἀποπλεῖν, *rogo (aequum duco) Heraclidem abire;* non vero ἀξιῶ Διονύσιον, Ἡρακλείδην ἀποπλεῖν. Est haec certe constructio peioris notae. Ita tamen noster statim loquitur: Διονύσιον ἀξιῶ καὶ δέομαι . . . μηδὲν αὐτῷ φλαῦρον γίγνεσθαι, ubi tamen addito verbo δέομαι lenitur abusus verbi ἀξιῶ. Insolite quoque dictum est: δεῦρο Ἡρακλείδην κομίσαι ἡμῖν εἰς λόγους. Stephanus putavit pro ἡμῖν scribendum esse ἥκειν; tamen ne sic quidem elegans nascitur constructio: κομίσαι δεῦρο ἥκειν! Denique, ne quem offendat durum hyperbaton particulae γὰρ in initio: Πλάτων γάρ, ἔφη pro: ἔλεγε γάρ, ὦ Πλάτων, κτέ., simile exemplum est de Legg. IV, p. 715 E: ἄνδρες τοίνυν, φῶμεν πρὸς αὐτούς. Plura eiusdem constructionis exempla collegit Ast. Animadv. ad h. l. p. 216.

Non minus pulcra sunt quae deinceps sequuntur: Τῇ δὴ μετὰ ταύτην τὴν ἡμέραν δείλης Εὐρύβιος καὶ Θεοδότης προσηλθέτην μοι σπουδῇ τεθορυβημένω θαυμαστῶς, καὶ ὁ Θεοδότης λέγει· Πλάτων, ἔφη, παρῆσθα χθὲς οἷς περὶ Ἡρακλείδην Διονύσιος ὡμολόγει πρὸς ἐμὲ καὶ σέ; Πῶς δ' οὔκ; ἔφην. Νῦν τοίνυν, ἦ δ' ὅς, περιθέουσι πελτασταὶ λαβεῖν Ἡρακλείδην ζητοῦντες, ὁ δε εἶναί πῃ ταύτῃ κινδυνεύει. ἀλλ' ἡμῖν, ἔφη, ξυνακολούθησον πρὸς Διονύσιον ἁπάσῃ μηχανῇ. Ὠιχόμεθ' οὖν καὶ εἰσήλθομεν παρ' αὐτόν, καὶ τὼ μὲν ἑστάτην σιγῇ δακρύοντε, ἐγὼ δ' εἶπον· Οἵδε πεφόβηνται μή τι σὺ παρὰ τὰ χθὲς ὡμολογημένα ποιήσῃς περὶ Ἡρακλείδην νεώτερον· δοκεῖ γάρ μοι ταύτῃ πῃ γεγονέναι φανερὸς ἀποτετραμμένος. ὁ δὲ ἀκούσας ἀνεφλέχθη τε καὶ παντοδαπὰ

χρώματα ἦκεν, οἷα ἂν θυμούμενος ἀφείη· προσπεσὼν δ' αὐτῷ ὁ Θεοδότης, λαβόμενος τῆς χειρὸς ἐδάκρυσέ τε καὶ ἱκέτευε μηδὲν τοιοῦτον ποιεῖν. Ὑπολαβὼν δ' ἐγὼ παραμυθούμενος, Θάρρει, Θεοδότα, ἔφην, οὐ γὰρ τολμήσει Διονύσιος παρὰ τὰ χθὲς ὡμολογημένα ἄλλα ποτὲ δρᾶν. Καὶ ὃς ἐμβλέψας μοι καὶ μάλα τυραννικῶς, Σοὶ, ἔφη, ἐγὼ οὔτε τι σμικρὸν οὔτε μέγα ὡμολόγησα. Νὴ τοὺς θεούς, ἦν δ' ἐγὼ, σύ γε ταῦτα, ἃ σοῦ νῦν οὗτος δεῖται μὴ ποιεῖν. Καὶ εἰπὼν ταῦτα ἀποστρεφόμενος ᾠχόμην ἔξω. An unquam rhetor, Platonicae ἠθοποιίας aemulator, splendidius opere functus est? Vide autem quam bene haec cum praegressis cohaereant.

Postridie prioris sermonis vespere Theodotes audiverat Dionysium per mercenarios investigare Heraclidem: inde metus et indignatio. Tum Theodotes in colloquio promiserat Dionysio se illum arcessiturum, si tyrannus salutem ei polliceretur; quod hic annuerat. At Heraclides ab amico evocatus non prodiit. Ergo Dionysius, quum denuo exquiri illum juberet, nihil fecit promissis contrarium, quod tamen in ultimis hisce ei objicitur. Theodotes autem imminens amico periculum narrans addit: ὁ δ' εἶναί πῃ ταύτῃ (pro ἐνταῦθά που) κινδυνεύει, *videtur hic alicubi esse:* ergo ubi esset non sciebat, sed conjiciebat tantum; quomodo igitur in praecedentibus polliceri potuit se arcessiturum amicum, qui ubi esset nesciebat? Nonne id probat totum locum esse commentum rhetoricum, quo scriptor artem suam ostendere studuit? Jam sequitur pulcra tragoedia. Vide quam exaggerata sint omnia: προσηλθέτην σπουδῇ τεθορυβημένω θαυμαστῶς; et paulo post: ξυνακολούθησον ἁπάσῃ μηχανῇ, h. e. manibus pedibus, remis et velis! Tum tres amici una intrant ad Dionysium. Illi ambo stant muti, lacrymantes, Plato libere tyrannum alloquitur. Res

picturae similis. Quaerit ex tyranno, numquid in Heraclidem statuerit *νεώτερον*; addit: *δοκεῖ γάρ μοι ταύτῃ πῃ γεγονέναι φανερὸς ἀποτετραμμένος*, h. e. *videtur enim huc alicubi secessisse* s. *refugium quaesisse;* quam bella sit ista periphrasis, nemo non sentit. Tum Dionysius *ἀνεφλέχθη*, *inflammatus est:* verbum fortius, quo Plato hoc sensu non utitur, sed seriores, ut Plutarch. Pelop. c. 32: *οὐ κατέσχε τῷ λογισμῷ τὴν ὀργήν, ἀλλὰ πρὸς τὴν βλέψιν ἀναφλεχθεὶς κτέ.* Huic simile est verbum *ἐξάπτεσθαι*, Epist. VII, p. 340 B: *ἐξημμένος ὑπὸ φιλοσοφίας*, *accensus a philosophia.* Sic Atticus homo non locutus esset, opinor. *Παντοδαπὰ χρώματα ἧκεν* est flosculus decerptus e Platonis Lyside, p. 222 B, ubi Hippothales *ὑπὸ τῆς ἡδονῆς παντοδαπὰ ἠφίει χρώματα*, quod dictum seriores certatim imitati sunt, ut notat Heindorf. ad h. l. Noster vero elegantiam dicti corrupit addendo quod quisque sponte intelligat, *οἷα ἂν θυμούμενος ἀφείη*. Sequitur supplicatio, jurgium, jactantia verba Platonis, *τυραννικὸν βλέμμα* Dionysii; tandem actores re infecta discedunt. [1])

Profecto neminem fore arbitror, quin, hac scena attente perlecta, fateatur eam et rebus et verbis ita comparatam esse, ut non Platonem, sed potius simium aliquem Platonis referat.

Haec de epistolae compositione et stilo. Compositionem nobis apparuit talem esse, ut non veram epistolam sed fictam arguat, eamque nec a Platone nec ab aliquo eius familiarium, sed a rhetore vel otioso homine conscriptam; dictionem autem plenam esse argutiis et flos-

---

1) Similis pictura est in fine Ep. III. de qua mox.

culis, tum refertam Platonicis dictis et sententiis inepte saepe inculcatis, ceterum a limata et incorrupta Atticorum dictione plurimum distare. Jam deinceps ad res pergendum nobis esset; ad hanc vero operis partem priusquam aggrediar, lubet simili ratione percurrere Epistolas III et VIII, quibus arctam cum VII[a] necessitudinem intercedere supra monui, ut deinceps ad res quae in his epistolis tractantur vel tanguntur explorandas me convertam.

picturae similis. Quaerit ex tyranno, numquid in Heraclidem statuerit νεώτερον; addit: δοκεῖ γάρ μοι ταύτῃ πῃ γεγονέναι φανερὸς ἀποτετραμμένος, h. e. *videtur enim huc alicubi secessisse* s. *refugium quaesisse;* quam bella sit ista periphrasis, nemo non sentit. Tum Dionysius ἀνεφλέχθη, *inflammatus est:* verbum fortius, quo Plato hoc sensu non utitur, sed seriores, ut Plutarch. Pelop. c. 32: οὐ κατέσχε τῷ λογισμῷ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ πρὸς τὴν βλέψιν ἀναφλεχθεὶς κτέ. Huic simile est verbum ἐξάπτεσθαι, Epist. VII, p. 340 B: ἐξημμένος ὑπὸ φιλοσοφίας, *accensus a philosophia.* Sic Atticus homo non locutus esset, opinor. Παντοδαπὰ χρώματα ἧκεν est flosculus decerptus e Platonis Lyside, p. 222 B, ubi Hippothales ὑπὸ τῆς ἡδονῆς παντοδαπὰ ἠφίει χρώματα, quod dictum seriores certatim imitati sunt, ut notat Heindorf. ad h. l. Noster vero elegantiam dicti corrupit addendo quod quisque sponte intelligat, οἷα ἂν θυμούμενος ἀφείη. Sequitur supplicatio, jurgium, jactantia verba Platonis, τυραννικὸν βλέμμα Dionysii; tandem actores re infecta discedunt. [1])

Profecto neminem fore arbitror, quin, hac scena attente perlecta, fateatur eam et rebus et verbis ita comparatam esse, ut non Platonem, sed potius simium aliquem Platonis referat.

Haec de epistolae compositione et stilo. Compositionem nobis apparuit talem esse, ut non veram epistolam sed fictam arguat, eamque nec a Platone nec ab aliquo eius familiarium, sed a rhetore vel otioso homine conscriptam; dictionem autem plenam esse argutiis et flos-

1) Similis pictura est in fine Ep. III. de qua mox.

culis, tum refertam Platonicis dictis et sententiis inepte saepe inculcatis, ceterum a limata et incorrupta Atticorum dictione plurimum distare. Jam deinceps ad res pergendum nobis esset; ad hanc vero operis partem priusquam aggrediar, lubet simili ratione percurrere Epistolas III et VIII, quibus arctam cum VII[a] necessitudinem intercedere supra monui, ut deinceps ad res quae in his epistolis tractantur vel tanguntur explorandas me convertam.

CAPUT IV.

DE EPISTOLA III.



Haec quoque epistola scripta est post Platonis reditum ab ultimo itinere ad Dionysium minorem, quo tempore Dio in Peloponneso copias parabat ut tyrannidem illi eriperet et Siciliam in libertatem vindicaret. Apparet hoc ex initio (D), ubi Dionysius dicitur Platoni objecisse perfidiam, *ὡς νῦν . . . τοῖς διανοήμασι τοῖς σοῖς τὴν σὴν ἀρχὴν ἀφαιρούμεθά σε.* Plato abiit ex Sicilia a. a. C. 360; Dio autem classem ad insulam appulit a. a. C. 357. Quare epistola scripta esse fingitur a. a. C. 359 vel 358.

Summarium hoc est. Nonnihil praefatus de salutandi formulis *χαίρειν* et *εὖ πράττειν*, dicit se audivisse rumores a Dionysio spargi, quod (Plato) nunc Dioni suaderet ea ipsa facere, quae Dionysio quondam facere cogitanti dissuasisset, nempe *τὸ τὰς Ἑλληνίδας πόλεις οἰκίζειν* et *τὴν ἀρχὴν ἐκ τυραννίδος εἰς βασιλείαν μεταστῆσαι* (315 D.). Huic recenti criminationi addit veterem, quondam a Philistide et aliis aulicorum maligne sparsam, dictitantibus

omnium quae Dionysius superbe et importune faceret suasorem ei fuisse Platonem. Ad haec postquam Dionysio in memoriam revocavit, se cum illo nihil fere *τῶν πολιτικῶν* tractasse nisi *ἄλλα τε βραχέα ἄττα καὶ περὶ τὰ τῶν νόμων προοίμια σπουδάσαντα* (p. 316 A), jam ad utramque criminationem se responsurum dicit: *πρὸς δύο δή μοι διττὰς ἀναγκαῖον ποιήσασθαι τὰς ἀπολογίας*. Primum crimen repellit ostendendo: *ὡς εἰκότως σοι ἔφυγον κοινωνεῖν περὶ τὰ τῆς πόλεως πράγματα*. Id probat e commercio quod ipsi Syracusis degenti cum Dionysio intercessisset, et e casibus quos ibi esset expertus. Memorat, quum primum venisset Syracusas, Dionem, optimum virum, a Dionysio expulsum esse, se in aula inter vilem assentatorum turbam retentum; a quo tempore missa se fecisse *τὰ πολιτικά*, idque unum egisse ut Dionysium et Dionem in gratiam reconciliaret. Postremo se a Dionysio dimissum esse hoc pacto, ut, quando bellum quod tum ab eo gerebatur compositum esset, una cum Dione Syracusas reverteretur. Pace vero facta, quum ipse solus a Dionysio revocaretur, primum se id abnuisse, postremo tamen triremi a rege Athenas missa arcessitum, Dionis amicorumque hortatu in Siciliam profectum esse, ea spe fore ut ruptum Dionysium inter et Dionem amicitiae vinculum repararet. Quum autem Syracusas venisset et apud tyrannum pro amico intercederet, se fallacibus Dionysii promissis ac dolis elusum esse et deceptum, Dionem bonis exutum, familiarem eius Heraclidem pulsum, ceteros amicos spretos et territos esse, eo praetextu, quod Dionem pluris facerent eiusque salus magis cordi iis esset quam Dionysii. Haec, inquit, documento sunt (*τῆς*) *περὶ τὰ πολιτικὰ κοινωνίας τῆς ἐμῆς καὶ σῆς*, h. e. quale

inter nos fuerit consiliorum de republica commercium; ostendunt in te causam sitam fuisse, quae *τὴν ἐμὴν καὶ σὴν λυκοφιλίαν καὶ ἀκοινωνίαν* peperit (p. 318 E).

Deinde accedit ad alterum, h. e. primum accusationis caput, quod paucis absolvit. Dionysio criminanti quod Plato quondam sibi dissuasisset Siciliae civitates instaurare et imperium suum mitigare, respondet commemorando sermonem, qui quondam adstantibus Aristocrito et Archedemo in regiae horto esset habitus, in quo Dionysius hoc ipsum Platoni exprobrasset, quod jussisset se *τὰς Ἑλληνίδας πόλεις κουφίζειν*. Addit, se plura argumenta afferre posse ad probandum id se magnopere cupivisse, Dionysium vero noluisse, si coram idoneo judice causa ageretur, *εἴ τις ἱκανή που φαίνοιτο κρίσις*. (p. 319 D).

Haec est argumenti summa, nunc de epistolae compositione et de rerum tractatione paucis videamus. Epistolam hanc esse apologiam, ad redarguendum iniquos rumores qui a Dionysio eiusque assentatoribus de Platone sparsi essent compositam, indicant ipsius epistolae verba: *πρὸς δύο δή μοι (διαβολὰς) διττὰς ἀναγκαῖον ποιήσασθαι τὰς ἀπολογίας*. Itaque, quamquam inscripta Dionysio, destinata tamen est ut in publicum ederetur et vulgo legeretur; alioquin inanis profecto fuisset istiusmodi cum tyranno et inimico expostulatio. Jam tali consilio argumentum epistolae parum respondet. Priori criminationi inter Syracusanos quondam sparsae, quod Dionysius quaecumque superbius ageret Platone auctore faceret, reponit hoc, quod pulso Dione nullus sibi rerum publicarum tractandarum locus esset relictus: *ἆρ' οὖν οἴει μοι*

τότε πολιτικῶν εἶναι κοινωνίαν πρός σε; (p. 316 D). Jam vero etiamsi concedamus, eo facto Platoni opportunitatem fuisse ademtam ut Dionysium philosophiae praeceptis imbueret et ad boni principis effigiem conformaret, non tamen probabile est, eum in aula degentem ab omni cum principe commercio de publicis negotiis mansisse remotum. Quid quod hac in parte ipsa epistola sibi non constat. Jam principio (p. 316 A) excipit ἄλλα τε βραχέα ἄττα καὶ τὰ τῶν νόμων προοίμια: quasi hoc leve esset negotium, quod quidem e Platonis sententia erat gravissimum, ut apparet ex iis quae hac de re disputantur in libro de Legg. IV, p. 722 sq. ubi docet, bonam legem duabus constare partibus, quarum altera sit τὸ ἐπιτακτικόν, h. e. ipsum legis praescriptum, alterum τὸ πειστικόν, quo ratio legis exponitur et suadetur, h. e. prooemium; ergo boni legislatoris esse προτιθέναι παντὸς τοῦ λόγου τὸ πεφυκὸς προοίμιον ἑκάστοις (p. 723 C). Inde scriptor epistolae id sine dubio sumsit. Jam manifestum est, prooemium legis componi non posse antequam ipsa lex constituta sit; quare res ista nequaquam ad βραχέα τινὰ annumeranda erat, quod potius gravissimum erat legislatoris opus. Deinde alteri criminationi, quod Plato dissuasisset Dionysio dominationem remittere et Siciliae civitates recreare, scriptor respondet commemorando colloquio, quod praesentibus Aristocrito et Archedemo in regiae horto cum Dionysio habuisset Plato, in quo colloquio Platonem vehementer id suasisse, quod dissuasisse eum dicit Dionysius, contra hunc ab eo dissensisse. Quid hoc aliud fuit nisi πράττειν τὰ πολιτικά? Ceterum istud colloquium ad Platonem defendendum parvi est ponderis. Quid enim ad fidem faciendam valet com-



memoratio sermonis secreto inter amicos habiti? Quod alter ait, alteri negare licet. Ipse scriptor hoc sensisse videtur, addit enim: *πρὸς δὲ τούτοις ἔτι σαφεστέρους τούτων εἰς ἔλεγχον λόγους ἐγὼ δοίην ἄν, εἴ τις ἱκανή που φαίνοιτο κρίσις.* (p. 319 D). Mirum tamen, si argumenta *σαφέστερα* in promtu habuit, quidni ea expromserit in apologia publico usui destinata.

Denique totum epistolae argumentum, et Dionysii criminatio et Platonis defensio, eiusmodi est, ut fictioni quam veritati similior sit. Dionysius Platonem accusat, quod quae facere se olim prohibuisset, ad eadem perficienda nunc auctor sit Dioni, ut nempe Graecas Siciliae civitates a Carthaginiensium dominatione liberaret et aequioribus legibus regnaret. Num autem verisimile tyrannum, qui omnia suo arbitrio gerebat et philosophi praecepta aspernabatur, huius monitis a gravissimo consilio avocatum fuisse, aut, si fuisset, id palam de se fassum esse? Quid autem eum prohibebat id ipsum, si vellet, nunc facere, quo sane Dionis et Platonis molitiones praevertisset? Platonis autem responsio non tam defensio est quam recriminatio, indigna viro, qui suae sibi virtutis et dignitatis conscius, improbi hominis calumnias contemnere facile potuit.

Itaque mihi videtur nec Dionysius tam stultus fuisse, ut futilem adeo criminationem de Platone spargeret, nec Plato tam ineptus, qui ad hanc serio responderet. Plutarchus in vita Dionis (c. 20) narrat, quum Dionysius Platonem ab ultimo itinere Athenas reversum rogasset, ne invidiosis de se sermonibus existimationi suae apud Graecos noceret, hunc respondisse: *μὴ τοσαύτη λόγων ἐν Ἀκαδημίᾳ γένοιτο σπάνις, ὥστε σοῦ τινα μνημο-*

νεῦσαι. Idem scriptor animadvertit cum hoc Platonis dicto quae in epistolis leguntur parum concinere. Quodsi quaeritur, utra illarum narrationum Platonis persona dignior eiusque sententiae convenientior sit, neminem fore puto, quin id quod Plutarchus refert iis quae in hac epistola leguntur longe anteponendum existimet. [1])

Jam ad singula quaedam attendamus. Initium facio ab exordio, quod sic se habet: Πλάτων Διονυσίῳ *χαίρειν* ἐπιστείλας, ἆρ' ὀρθῶς ἂν τυγχάνοιμι τῆς βελτίστης προσρήσεως; ἢ μᾶλλον κατὰ τὴν ἐμὴν συνήθειαν γράφων *εὖ πράττειν*, ὥσπερ εἴωθα ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς τοὺς φίλους προσαγορεύειν; σὺ μὲν γὰρ δὴ καὶ τὸν θεόν, ὡς ἤγγειλαν οἱ τότε θεωροῦντες, προσεῖπες ἐν Δελφοῖς αὐτῷ τούτῳ θωπεύσας τῷ ῥήματι καὶ γέγραφας, ὡς φασί,

Χαῖρε, καὶ ἡδόμενον βίοτον διάσωζε τυράννου.

ἐγὼ δὲ οὐδ' ἀνθρώπῳ κλήσει, μὴ ὅτι δὴ θεῷ, παρακελευσαίμην ἂν δρᾶν τοῦτο, θεῷ μέν, ὅτι παρὰ φύσιν προστάττοιμ' ἂν (πόῤῥω γὰρ ἡδονῆς ἵδρυται καὶ λύπης τὸ θεῖον), ἀνθρώπῳ δέ, ὅτι τὰ πολλὰ βλάβην ἡδονὴ καὶ λύπη γεννᾷ, δυσμαθίαν καὶ λήθην καὶ ἀφροσύνην καὶ ὕβριν τίκτουσα ἐν τῇ ψυχῇ. καὶ ταῦτα μὲν οὕτως εἰρήσθω παρ' ἐμοῦ περὶ τῆς προσρήσεως.

Incipit a salutatione. Dicit se malle suo more Dionysium alloqui, non verbo *χαίρειν*, sed potius *εὖ πράττειν*, quod ipsi decentius videatur, reprehenditque illum quod non modo familiares, sed ipsum Delphicum deum voce *χαίρειν* salutare ausus esset; videlicet *τὸ χαίρειν* aeque hominibus damnosum atque a deo alienum esse.

---

1) Idem animadvertit Wiegandius, in Symb. Crit. de Epist. II. p. 8.

Ut concedamus, cui nihil obstat, Platonem in epistolis ad familiares formula *εὖ πράττειν* usum esse, cui tamen non inficetum et putidum videatur, principio epistolae e tali salutandi formula occasionem petere de decoro et honesto praecepta dandi? Quod vero Dionysium vituperat, quod Delphicum deum verbo *χαίρειν* compellare ausus esset, quis nescit illud *χαῖρε* receptam fuisse formulam, qua soliti essent deos salutare? Ita, ut exemplum afferam, in Homerico Hymno in Apoll. vs. 14: *χαῖρε, μάκαιρ' ὦ Λητοῖ.* Cratinus in Meinekii fragm. Comic. p. 194: *εὔιε κισσόχαιτ' ἄναξ (Διόνυσε) χαῖρε.* Callimachus Hymn. in Jov. 91: *χαῖρε μέγα, Κρονίδη πανυπέρτατε, δῶτορ ἐάων.* Quid plura? Prooemium hoc, me judice, non elegantem et urbanum scriptorem, non *Ἀττικώτατον* philosophorum redolet, sed potius arrogantem magistrum, *ἀρεταλόγον* aliquem, qui inepto loco inculcare voluit quae alicubi apud Platonem legisset. Manifestum est efficta haec esse e Charmida, p. 164 D, ubi Plato loquens de praecepto Delphico *γνῶθι σεαυτὸν* dicit: *τοῦθ' οὕτω μοι δοκεῖ τὸ γράμμα ἀνακεῖσθαι, ὡς δὴ πρόσρησις οὖσα τοῦ θεοῦ τῶν εἰσιόντων ἀντὶ τοῦ χαῖρε, ὡς τούτου μὲν οὐκ ὀρθοῦ ὄντος τοῦ προσρήματος, τοῦ χαίρειν, οὐδὲ δεῖν τοῦτο παρακελεύεσθαι ἀλλήλους, ἀλλὰ σωφρονεῖν.* Idque *σωφρονεῖν* paulo post ostendit idem esse atque *εὖ πράττειν* (172 A). Probabile hinc ipsam illam salutationem fluxisse et per fictas epistolas deinde pro Platonica vendidatam ac propagatam esse. Certe Luciani testimonium (Pro lapsu inter salut. c. 4), Platonem formulam *τὸ χαίρειν* reprobasse, *ὡς μοχθηρὸν ὂν καὶ οὐδὲν σπουδαῖον ἐμφαῖνον*, ex Epistolis fluxisse, apparet ex ipsius verbis: *καὶ ἐπιστέλλων γε τῷ Διονυσίῳ αἰτιᾶται αὐτὸν, ὅτι ... χαίρειν τὸν θεὸν προσεῖπεν,*

ὡς ἀνάξιον τοῦ Πυθίου καὶ οὐχ ὅπως θεοῖς ἀλλ' οὐδ' ἀνθρώποις δεξιοῖς πρέπον. Vid. Salomon in libro laud. p. 5. Wiegand, p. 5 sq. Simile initium est Epist. XIII, ubi de formula *εὖ πράττειν* dicit: *ἀρχή σοι τῆς ἐπιστολῆς ἔστω καὶ ἅμα ξύμβολον ὅτι παρ' ἐμοῦ ἐστίν.*

Si autem verba attendimus, etiam hic incidimus in inanes repetitiones et ambages, cuiusmodi est hocce: *ἆρ' ὀρθῶς τυγχάνοιμι τῆς βελτίστης προσρήσεως;* Dicitur *τυγχάνειν τοῦ σκόπου*, ferendumne etiam *ὀρθῶς τυγχάνειν τοῦ σκόπου*? Non opinor; quasi qui tangit, possit non recte tangere. Inanis quoque tautologia est in verbis *κατὰ τὴν ἐμὴν ξυνηθείαν — ὥσπερ εἴωθα ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς κτέ.* Pro *κλήσει παρακελευσαίμην ἂν* exspectasses *κλήσει τοιαύτῃ*: ita nude durius positum est. Denique postrema: *καὶ ταῦτα μὲν οὖν οὕτως εἰρήσθω παρ' ἐμοῦ*, affectatam gravitatem redolent: sunt potius oratoris coram concione dicentis, quam familiaris ad familiarem scribentis.

Duo haec quae notavi, affectata orationis gravitas et tumor atque inanis et quaesita verborum redundantia, ut in superiore ita in hac ceterisque epistolis risum vel taedium movent lectori. Quae e. g. est jactantia et tumor in his verbis, quibus dicit se Dionysii aliorumque literis arcessitum esse ut in Siciliam veniret, p. 317 B: *αἰσχύνομαι δὴ λέγειν, ὅσαι τότ' ἐπιστολαὶ παρὰ σοῦ καὶ παρ' ἄλλων ἦλθον διά σε ἐξ Ἰταλίας καὶ Σικελίας, καὶ παρ' ὅσους τῶν ἐμῶν οἰκείων καὶ [τῶν] γνωρίμων, [καὶ] πᾶσαι διακελευόμεναί μοι ἰέναι καὶ δεόμεναι σοὶ πάντως ἐμὲ πείθεσθαι. ἐδόκει δὴ πᾶσιν ἀρξαμένοις ἀπὸ Δίωνος δεῖν ἐμὲ πλεῦσαι καὶ μὴ μαλθακίζεσθαι.* [1]) Ceterum non erat cur

1) Quae [ ] inclusi melius abessent; sed etiam in usu harum vocum crebro peccant hae Epistolae.

scriptorem hoc dicere *puderet* (*αἰσχύνομαι λέγειν*), nullum erat in hoc dedecus; sed *αἰσχύνομαι* ut fortius verbum posuit pro *αἰδοῦμαι*. cf. supra p. 50. Quum commemorat Dionem a Dionysio in exsilium ejectum esse, his utitur verbis, p. 316 D: *τὸ μετὰ τοῦτο εἴτ' ἄνθρωπος εἴτε θεὸς εἴτε τύχη τις μετὰ σοῦ Δίωνα ἐξέβαλε καὶ ἐλείφθης μόνος*. Tales ampullas quis non rideat? Uti autem modo in verbis *ταῦτα μὲν οὕτως εἰρήσθω*, ita plerumque solet formula quadam uti, qua ab uno argumento ad aliud transeat, veluti p. 317 A: *καὶ ταῦτα μὲν οὕτως ἐγένετο τῆς ἐμῆς εἰς Συρακούσας ἀποδημίας πέρι τῆς πρώτης καὶ τῆς πάλιν οἴκαδε σωτηρίας*. Rursus p. 318 D: *καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ περὶ τὰ πολιτικὰ τῆς κοινωνίας* (pro *περὶ τῆς τῶν πολιτικῶν κοινωνίας*) *τῆς ἐμῆς καὶ σῆς*, quae mox paulum immutata iterum leguntur: *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ταύτῃ γενόμενα τὴν ἐμὴν καὶ σὴν λυκοφιλίαν καὶ ἀκοινωνίαν διά σε ἀπειργάσατο*. Cf. Ep. II, 314 C: *ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ, περὶ δὲ Πολυξένου κτέ*. Hinc formula illa ut Platonica memoratur a Plutarcho, Demosth. c. 1 extr: *καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ, κατὰ Πλάτωνα*: quod quo spectaret fugiebat Wyttenbachium, quare Plutarchi verba mutilata putabat. Vid. Annot. ad Select. histor. p. 248 et 424. Interdum transitum facit satis inepte, ut post prooemium, p. 316 C, quum ad ipsam defensionem accedit, dicit haec: *τὴν οὖν ἀρχὴν ὧν εἶπον [περὶ] προτέρων ἄκουε πρότερον*. Vult dicere „duorum defensionis capitum id quod primum posui, primum audi." Quis non videt verbis supervacuis *τὴν ἀρχὴν* et *περὶ* obscurum reddi sensum? Clarius dixisset *περὶ τῶν προτέρων οὖν ἄκουε πρότερον*. Ad alterum autem defensionis caput transgreditur hac formula, p. 318 E: *σχεδὸν δ' εἰς λόγον ὁ λόγος ἥκει μοι ξυνεχὴς τῷ*

νῦν δὴ γενομένῳ, περὶ οὗ μοι τὸ δεύτερον ἀπολογητέον ἔφην εἶναι. Quae verba hoc significant: „venio ad alterum argumentum priori affine." Scriptor dum argutus esse studet, fit obscurus, quae tamen obscuritas nescio an aucta sit culpa librarii, quum auctorem ita scripsisse suspicer: σχεδὸν δ' εἰς λόγον ὁ λόγος ἥκει μοι ξυνεχῆ τῷ νῦν δὴ λεγομένῳ, περὶ οὗ κτέ. Ὁ νῦν λεγόμενος spectat ad ea quae modo dicta sunt, περὶ οὗ τὸ δεύτερον ad ea quae jam dicenda.

Ceterum tantam huiusmodi argutiarum silvam continet haec epistola, ut exemplo esse possit, quid hac in re vitandum sit. Pauca afferam. p. 316 D: οὐκ ἄρχοντα, οἰόμενον δ' ἄρχειν, ὑπὸ δὲ τοιούτων ἀνθρώπων ἀρχόμενον. p. 317 C: ἑώρων γὰρ καὶ τότε καὶ νῦν ὁρῶ. ibid. D: τὰ σφέτερα πάντα, ἐξὸν μὴ ἀπωλέσθαι, διώλετο. ibid. E: μὴ διανείμασθαι τοὺς διανειμαμένους. p. 318 D: τῆς κοινωνίας τῆς ἐμῆς καὶ σῆς, et paulo post: τὴν ἐμὴν καὶ σὴν λυκοφιλίαν. ibid. E: τῆς ἐμῆς μεταβολῆς, εἰ μετεβαλόμην. Cf. Ep. II, 312 A: οἱ βοῶντες ... ταῦτα δὴ διαβεβόηται. p. 313 D. E: ὁ ἐμπορευσάμενος ... τῆς ἐμπορίας ... ἐμπορεύσεται. Non mirum autem si inane istud verborum aucupium scriptoris judicio officit et orationem, quam copiosam reddere nititur, facit lutulentam. Inde fit ut non raro offendas in sententias mutilas, hiulcas, non justo ordine structas, cuius generis e multis unum et unum alterum exemplum afferam.

Primum exemplum sit p. 316 C: Ἦλθον καλούμενος εἰς Συρακούσας ὑπό τε σοῦ καὶ Δίωνος, τοῦ μὲν δεδοκιμασμένου παρ' ἐμοὶ καὶ ξένου πάλαι γεγονότος, ἐν ἡλικίᾳ δ' ὄντος μέσῃ καὶ καθεστηκυίᾳ, ὧν δὴ παντάπασι χρεία τοῖς νοῦν καὶ σμικρὸν κεκτημένοις μέλλουσι περὶ τοσούτων ὅσα

ἦν τότε τὰ σὰ βουλεύεσθαι, σοῦ δὲ ὄντος μὲν σφόδρα νέου, πολλῆς δὲ ἀπειρίας οὔσης περὶ σὲ τούτων ὧν ἔμπειρον ἔδει γεγονέναι, καὶ σφόδρα ἀγνῶτος ἐμοί. τὸ μετὰ τοῦτο εἴτ' ἄνθρωπος εἴτε θεὸς εἴτε τύχη τις μετὰ σοῦ Δίωνα ἐξέβαλε καὶ ἐλείφθης μόνος. Nemo haec legens non animadvertat, quae hic de Dione et Dionysio adolescentibus dicuntur aliquid superbiae spirare, quasi nemo ad τὰ πολιτικὰ posset esse instructus nisi qui Platoni cognitus esset et probatus. Sed hoc ut omittam, videamus de verbis. Primum attende repetitionem in his: ἡλικίᾳ μέσῃ καὶ καθεστηκυίᾳ [1]); iidem nimirum sunt οἱ καθεστηκότες et οἱ ἐν μέσῃ ἡλικίᾳ. Quo autem refertur proximum illud ὧν? Non potest referri, quod prima specie videatur, ad ἡλικίαν μέσην καὶ καθεστηκυίαν, quum haec duo unum idemque notent. Ex amborum membrorum oppositione, τοῦ μὲν δεδοκιμασμένου, ... ἐν ἡλικίᾳ δ' ὄντος, et σοῦ δὲ ὄντος νέου ... καὶ ἀγνῶτος ἐμοί, apparet plurale ὧν referendum esse ad ambo haec: δεδοκιμασμένου et ἐν ἡλικίᾳ ὄντος. Plus molestiae est in dativis τοῖς νοῦν καὶ σμικρὸν κεκτημένοις μέλλουσι κτέ. Verba si proprie accipiuntur, hoc significant: „spectata prudentia et matura aetate opus est iis qui vel paulum sanae mentis possideant quum ad tantas res gerendas accessuri sunt." Hoc autem vide ne ineptum habeat sensum: nam qui sanam mentem habent, his sane adsint illa quibus ad rem gerendam opus est. Num hoc voluit scriptor: „annis et experientia opus est iis qui *non imprudenter* ad rempublicam accedere velint?" Ita vero articulus τοῖς jungi

1) Similes pleonasmos notavi in Ep. VII, uti p. 325 B. τὰ κοινὰ καὶ πολιτικά. Vid. supra p. 46.

debebat non cum *νοῦν κεκτημένοις*, sed cum *μέλλουσι*, vel potius tali modo scribi: *ὧν χρεία τοῖς μέλλουσι μετὰ νοῦ — βουλεύσασθαι*. An vero dativum *τοῖς νοῦν κεκτημένοις* hoc sensu posuit: „judicio eorum qui aliquid sapiunt," qua significatione dativus participii interdum ponitur? In hunc sensum accepit Ficinus, qui locum sic vertit: „quibus omnino *vel mediocriter prudens* opus esse ad res huiusmodi gerendas, quales tuae erant, *existimarit*." Atqui sic ante *μέλλουσι* articulus *τοῖς* abesse non poterat, et certe obscura et vitiosa est amborum dativorum conjunctio.

Alterum exemplum inconcinnae verborum juncturae praebet locus p. 317 E. „Postquam, inquit, a te arcessitus Syracusas veni, *ἐγὼ μὲν οὖν ἠξίουν δή που κατὰ τὴν ὁμολογίαν τῶν ἐπιστολῶν πρῶτον μὲν κατάγειν τὸν Δίωνα οἰκειωσάμενον, φράζων τὴν οἰκειότητα, ἣν εἰ ἐμοὶ τότε ἐπείθου, τάχ' ἂν βέλτιον τῶν νῦν γεγονότων ἔσχε καὶ σοὶ καὶ Συρακούσαις καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν, ὡς ἡ ἐμὴ δόξα μαντεύεται*. Ultimum hoc: *ὡς ἡ ἐμὴ δόξα μαντεύεται*, pro „ut ego suspicor," jam supra notavi, p. 59. [1]). Huic simile est illud *ὁ ἐμὸς λόγος* pro *ἐγὼ*, quod in singulis epistolis crebro est obvium. Epist. VII, p. 334 C. VIII. p. 354 A: *καὶ νῦν ὅ γ' ἐμὸς λόγος ἂν εἴη ξύμβουλος*. ibid. C. Sed animadvertas, quaeso, hanc verborum structuram: *φράζων τὴν οἰκειότητα, ἣν εἰ ἐμοὶ τότε ἐπείθου* sqq. In his primum vitiosum est *ἣν*. Verbo *πείθεσθαι*

---

1) Ceterum verbum *μαντεύομαι* improbatum a Salomone, p. 20, defendit Hermannus (Zeitschr. f. Alterthw. 1837. p. 274), ostendens verbum *μαντεύομαι* a Platone pro *ὑποπτεύω* saepius usurpari, ut Symp. p. 192. Atqui non hoc est quod in reprehensionem venit, sed quod pro *ἐγὼ* ponitur *ἡ ἐμὴ δόξα*.

recte additur pronomen neutrum in accusativo, itaque recte dictum esset *ὃ εἰ ἐμοὶ τότ' ἐπείθου;* non vero dici potest *ἣν ὁμολογίαν εἰ ἐμοὶ ἐπείθου.* Obscurum autem est, utrum scriptor *ἣν* referri voluerit ad *ὁμολογίαν* an ad *οἰκειότητα;* certe illud *φράζων τὴν οἰκειότητα*, quo emphasin addere vult verbo *οἰκειωσάμενον*, inepte adjectum est. Simile autem vitium est Epist. VI, 323 B C: *ξυνδῆσαι πάλιν εἰς τὴν προϋπαρχοῦσαν φιλότητά τε καὶ κοινωνίαν, ἣν ὅταν μὲν φιλοσοφῶμεν κτέ*, ubi *ἣν* item *ἀνακολούθως* est positum. Altera labes est in hoc: *βέλτιον τῶν νῦν γεγονότων ἔσχε σοί.* Tritum est *εὖ ἔχει*, similia; dici igitur potest *νῦν βέλτιον ἔχει ἢ πρὸ τοῦ*, non vero *βέλτιον ἔχει τῶν προτέρων* vel *τῶν νῦν γεγονότων;* in hac constructione necesse est addi *τὰ πράγματα* et scribi oportuit: *βέλτιον τῶν νῦν γεγονότων ἔσχε τὰ πράγματα σοι* sqq. Haec aliaque huiusmodi vitia talia sunt ut facilius librario quam scriptori tribuenda crederes, nisi tot ubique exstarent indicia quae scriptoris vel quaesitam negligentiam vel inscitiam arguunt; si tamen librarii est culpa, locus aliquantulum juvaretur sic legendo: *φράζω τὴν οἰκειότητα, δι' ἣν κτέ.*

Priori epistolae parti finem imponunt haec verba, p. 318 E: *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ταύτῃ γενόμενα τὴν ἐμὴν καὶ σὴν λυκοφιλίαν καὶ ἀκοινωνίαν ἀπειργάσατο.* Vocabulum *λυκοφιλία* flosculus est e Menandro fortasse additus, cuius versiculum notavit Aelius Dionysius, teste Eustathio: *παρὰ Αἰλίῳ Διονυσίῳ κεῖται τὸ λυκοφιλίως, ἀντὶ τοῦ ὑπόπτως, ὑπούλως, ὃς φέρει καὶ Μενάνδρου χρῆσιν* (l. *ῥῆσιν*) *ταύτην· „λυκοφίλιοι μέν εἰσιν αἱ διαλλαγαί."* (Vid. Meinekii Comic. fragm. vol. IV, p. 279). Quod Platonis verba Aelius non attulit, inde effici nolim epistolam hanc

grammatico incognitam fuisse. Si vocabulum λυκοφιλία a nostro scriptore inventum esset, laudi id ei tribui posset, modo apte eo usus esset. [1]) Si tyranno eiusque sodalibus tribuisset λυκοφιλίαν, *subdolam amicitiam*, non esset vituperandum; sed quod sibi ipsi tale quid imputat, τὴν ἐμὴν καὶ σὴν λυκοφιλίαν, hoc sane est hominis suae dignitati parum consulentis.

Finitur haec epistola, prorsus sicut VII^{ma}, commemorando colloquio Dionysium inter et Platonem habito, quo hic illius criminationem refutat. Etiam hoc colloquium fit adstantibus duobus amicis, scena item est ἐν κήπῳ, totus denique locus ad epistolae VII exemplum fictus esse videtur. Utràque scena est imitatio Socraticorum dialogorum, haec superiore illa etiam languidior et ineptior.

„In horto regiae (dicit Plato ad Dionysium), praesentibus Archedemo et Aristocrito, tu me, τούτων ἐναντίον διηρώτησας, εἰ μνημονεύω, κατ' ἀρχὰς ὅτ' ἦλθον κελεύων σε τὰς πόλεις τὰς Ἑλληνίδας κατοικίζειν. ἐγὼ δὲ ξυνεχώρουν μεμνῆσθαι καὶ ἔτι νῦν μοι δοκεῖν ταῦτ' εἶναι βέλτιστα: „quaerebas ex me, meminissemne me, quum primum huc venissem, suadere tibi ut Graecas civitates restitueres. Ego me fatebar meminisse et (addidi) id nunc etiam optimum mihi videri." Deinceps quasi graviter indignatus sic pergit; locus, etsi satis longus, tamen dignus est qui describatur: Ῥητέον δὲ, ὦ Διονύσιε, καὶ τὸ ἐπὶ τούτῳ τότε λεχθέν. ἠρόμην δὴ, πότερον αὐτὸ τοῦτό σοι ξυμβουλεύσαιμι μόνον ἤ τι καὶ ἄλλο πρὸς τούτῳ. σὺ δὲ καὶ μάλ' ἀπεκρίνω μεμηνιμένως καὶ ὑβριστικῶς εἰς ἐμὲ, ὡς ᾤου, διὸ τὸ τότε σοὶ ὕβρισμα νῦν ὕπαρ ἀντ'

1) Simile est vocabulum quod legitur in Ep. VII, p. 350 C, ξεναπατία.

ὀνείρατος γέγονεν, εἶπες δὲ καὶ μάλ' ἀπλάστως γελῶν, εἰ μέμνημαι ὡς παιδευθέντα με ἐκέλευες ποιεῖν πάντα ταῦτα ἢ μὴ ποιεῖν. Ἔφην ἐγὼ κάλλιστα μνημονεῦσαι σέ. Οὐκοῦν παιδευθέντα, ἔφησθα, γεωμετρεῖν, ἢ πῶς; Κἀγὼ τὸ μετὰ ταῦτα ὃ ἐπῄει μοι εἰπεῖν οὐκ εἶπον, φοβούμενος μὴ σμικροῦ ῥήματος ἕνεκα τὸν ἔκπλουν ὃν προσεδόκων, μή μοι στενὸς (l. στένος) γίγνοιτο ἀντ' εὐρυχωρίας.

In verbis αὐτὸ τοῦτο... μόνον est affectata emphasis; nemo certe desideraret vocabulum μόνον, si abesset. Verborum, σὺ δὲ καὶ μάλ' ἀπεκρίνω μεμηνιμένως, quaesita structura est (quo genere abundant hae epistolae) pro σύ δ' ἀπεκρίνω, καὶ μάλα μεμηνιμένως. Ceterum sufficiebat sane unum ὑβριστικῶς; noster solita exaggeratione addit μεμηνιμένως, vocabulum insolens, aeque ac verbum μηνίειν pedestribus scriptoribus inusitatum. Neque hoc illi satis videtur, sed interposita parenthesi (de qua mox) addit: εἶπες δὲ καὶ μάλ' ἀπλάστως γελῶν. Quid sibi velit hoc loco vocabulum ἀπλάστως, conjicere difficile est: proprie significat *non fictum*, *non fucatum*, h. e. *sincerum*. At *sincero vultu ridens* non convenit certe scriptoris menti. Num ἀπλάστως dixit pro ἀγροικῶς, *inculte*, *agreste*, an forte error est librarii ἀπλάστως scribentis pro ἀπλήστως, h. e. *insatiabiliter*, *effuse* ridens? Hoc facile adducor ut credam, quamquam accommodatius vocabulum fuerat quod de Rep. I, p. 337 A, de Thrasymacho dicitur: ἀνεκάγχασέ τε μάλα σαρδόνιον καὶ εἶπεν. *Sardonius risus* dicitur fictus et amarulentus. Sed quid sibi volunt verba in parenthesi posita, διὸ τὸ τότε σοι ὕβρισμα νῦν ὕπαρ ἀντ' ὀνείρατος γέγονεν; Ὕπαρ ἀντ' ὀνείρατος significat quod ex obscuro fit clarum, quando e tenebris lux exoritur. Polit. p. 278 E: ἵν' ὕπαρ ἀντ' ὀνείρατος ἡμῖν γίγνηται. Di-

cit ergo hoc: *tuum illud in me opprobrium nunc ex obscuro clarum factum est;* quod satis αἰνιγματωδῶς enuntiatum est. Opinor scriptorem hoc velle: „quod contumeliose in me, ut putabas, locutus es, nunc apparet contumeliam fuisse non in me, sed in te ipsum;" h. e. „derisisti τὴν ἐμὴν παιδείαν, nunc tua ἀπαιδευσία tibi ludibrio est," nimirum ob mala jam tibi imminentia. Ergo ὄναρ spectat ad ὡς ᾤου, id quod putabat Dionysius, ὕπαρ ad eventum. Manifestum credo, scriptorem, quum flosculum e Platone inserere vellet, sententiam reddidisse obscuram.

Etiam quae sequuntur: εἶπες δὲ καὶ μάλ' ἀπλάστως γελῶν, εἰ μέμνημαι ὡς παιδευθέντα με ἐκέλευες ποιεῖν πάντα ταῦτα ἢ μὴ ποιεῖν, parum dilucide enuntiata sunt. Ficinus ita interpretatur: „Rogasti autem me, si bene quid memini, me deridens, an ista praecepissem tibi quasi doctor an non." Hic igitur verba εἰ μέμνημαι pro parenthesi habet, a Platone haec narrante interposita. Atqui Dionysii esse haec verba Platonem interrogantis, apparet ex huius responso: ἔφην ἐγὼ κάλλιστα μνημονεῦσαί σε: „respondi te optime rem recordari." Obscuritas inde orta, quod interrogationis formam directam et indirectam miscuit. Directe sic dixisset: εἶπες, ἆρα μέμνησαι, ὡς — με ἐκέλευες, „dixisti: *meministine te mihi praecipere, ut haec facerem*" cet. Indirecte ita: εἶπες, εἰ μέμνημαι ὡς — σε ἐκέλευον, „*meminerimne me tibi praecipere ut haec faceres,* quum doctrina eruditus esses? Respondi, optime te recordari. Nimirum (reponit Dionysius), quum geometriam, aiebas, edoctus essem, an aliter?" Ita omnia clare procedunt. Postremum hoc, παιδευθέντα γεωμετρεῖν, spectat ad id quod a Plutarcho

narratur (Dion. c. 13), quum Plato in aulam Syracusanam venisset, omnia docto pulvere oppleta fuisse, quod nunc Dionysius ridens ei exprobrat. Hoc vero Dionysii dictum ita philosopho bilem movit, ut vix continere se posset: *κἀγὼ τὸ μετὰ ταῦτα ὃ ἐπῄει μοὶ εἰπεῖν οὐκ εἶπον, φοβούμενος μὴ σμικροῦ ῥήματος ἕνεκα τὸν ἔκπλουν ὃν προσεδόκων, μή μοι στένος γίγνοιτο ἀντ' εὐρυχωρίας.* In ultimis verbis, *φοβούμενος — μὴ τὸν ἔκπλουν — μή μοι στένος γίγνοιτο ἀντ' εὐρυχωρίας*, est anacoluthon; dici poterat, omisso priore *μή*, *φοβούμενος τὸν ἔκπλουν μή μοι χαλεπὸς γένοιτο.* Ceterum pro *στενός*, quod est adjectivum, scripsi *στένος* substantivum, idem quod *στενοχωρία*, quod oppositum *εὐρυχωρίᾳ*. Est autem *στένος* vocabulum poëticum, quo pedestris sermo non utitur. Vid. Steph. Thes. in v.; *εὐρυχωρία* etiam legitur apud Platonem, ut in Tim. p. 60 E: *διὰ πολλῆς εὐρυχωρίας ἰόντα.*

CAPUT V.

DE EPISTOLA VIII.



Scripta fingitur haec epistola a Platone ad Dionis familiares et socios, quo tempore Hipparinus, maioris Dionysii filius, expulso Callippo, Syracusas occupaverat, i. e. a. a. C. 353 (Diodorus l. XVI, c. 36); quod apparet ex epistolae verbis p. 356 A, ubi hunc Hipparinum laudat propter beneficia quae nuper civitati praestitisset: *χάριν τῆς τε δὴ νῦν βοηθείας καὶ (τοῦ) ὁσίου τρόπου, ὃς γενόμενος τυράννου πατρὸς ἑκὼν τὴν πόλιν ἐλευθεροῖ, κτἑ.*

Epistolae propositum est, ut consilia det Dionis sociis de instituenda et ordinanda civitate. Dicit autem se velle tale consilium dare, quod amicis aeque atque adversariis utile sit futurum. Ac primum quidem ostendit huiusmodi consilia vulgo parum probari nec facilia esse effectu, sed potius votis similia, *εὐχῇ ὅμοια*. „Atqui, addit quasi se corrigens, *ἔστω δὴ παντάπασι μὲν εὐχή τις . . . ἐπιτελὴς δ' εἴη*. Haec praefatus incipit a praeteriti temporis recordatione: docet utrisque certantium quondam

commune fuisse salutis principium, nempe quod in maximo periculo Dionysius et Hipparinus (uterque maior) creati essent *τύραννοι αὐτοκράτορες*, quorum ope Hellenes a barbarorum servitute liberatos esse; ob quae merita gratiam deberi servatoribus (p. 353 B). Deinde praesentem rerum statum talem esse dicit, ut neutris partibus facile spes sit vincendi adversarios, immo metuendum sit ne Sicilia fiat praeda Opicorum et Poenorum: quare opus esse tale inveniri remedium, quod utrisque acceptum et utile sit futurum. Deinceps tanquam arbiter, *διαιτητοῦ τρόπον*, sententiam suam enuntiat (p. 354 A).

Principibus suadet ut nomen et imperium tyranni mutent in *βασιλείαν* et dominum constituant legem, exemplum sequentes Lycurgi, qui hac ratione Spartam servasset incolumem; populares autem monet cavere ne *ἐλευθερίας ἀπληστίᾳ* incidant in *ἀναρχίαν*, edocti exemplo prioris temporis, quum nimia libertas servitutem peperit: *δουλεία γὰρ καὶ ἐλευθερία ὑπερβάλλουσα μὲν ἑκάτερα πάγκακον, ἔμμετρος δ' οὖσα πανάγαθον· μετρία δὲ ἡ θεῷ δουλεία, ἄμετρος δὲ ἡ τοῖς ἀνθρώποις· θεὸς δ' ἀνθρώποις σώφροσι νόμος, ἄφροσι δὲ ἡδονή*. (p. 354 E).

His dictis Dionem tanquam e mortuis reducem ad Syracusanos loquentem facit. Postquam docuit legem spectare oportere non quod volupe, sed quod rectum sit, neque ad divitias tendere, sed ad virtutem, dicit utrique factioni utile et aequum esse per compositionem finem belli facere, ut civibus sit *ἐλευθερία* cum potestate regia, regibus autem sit *ἀρχὴ ὑπεύθυνος*, universis vero, tam regi quam civibus, lex imperet. Tum reges iis commendat primo loco filium suum, secundo Hipparinum prioris Dionysii filium, tertio Dionysium minorem, expulsum tyrannum,

ea conditione ut tyrannidem in *βασιλείαν* vertat (p. 356 A sq). Deinde docet rempublicam sic ordinandam esse uti antea dictum esset: assentientibus regibus creandos esse legatos, qui *κύριοι τῶν διαλλαγῶν* pactum faciant, tum rempublicam ordinent ita, ut praesint reges tanquam sacrorum antistites, his addantur XXXV *νομοφύλακες*, qui cum *δήμῳ* et *βουλῇ* de bello et pace decernant, iidemque sint judices *θανάτου καὶ φυγῆς*, additis selectis judicibus e magistratuum collegiis. Haec consilia fatetur effectu difficilia quidem esse, non tamen *ἀδύνατα*. Quare orat ne prius desistant, quam ea, quae nunc *θεῖα ὀνείρατα* videntur, rata et effecta reddiderint.

Epistolam hanc nonnulli partem esse putaverunt superioris male inde divulsam, tum ob prima epistolae verba: *Ἃ δ' ἂν διανοηθέντες μάλιστα εὖ πράττοιτε*, quae non videbantur justum initium facere, tum quod hac epistola contineretur *ἡ ξυμβουλὴ* in priore epistola promissa. At initium recte se habet, si animadvertimus salutationem partem esse ipsius epistolae; quare praeeunte Hermanno interpungatur hoc modo: *Πλάτων τοῖς Δίωνος οἰκείοις τε καὶ ἑταίροις εὖ πράττειν, ἃ δ' ἂν διανοηθέντες μάλιστα εὖ πράττοιτε ὄντως πειράσομαι διεξελθεῖν.* Simile est initium Epistolae XIII, quod item male solet interpungi, sic legendum: *Πλάτων Διονυσίῳ τυράννῳ Συρακουσιῶν εὖ πράττειν ἀρχή σοι τῆς ἐπιστολῆς ἔστω καὶ ἅμα ξύμβολον ὅτι παρ' ἐμοῦ ἐστί*: h. e. „salutandi formula: *Πλάτων Διονυσίῳ εὖ πράττειν* (qua personatus Plato uti solet pro vulgari *χαίρειν*, cf. supra p. 89 sq.) tibi documento sit, hanc epistolam a Platone missam esse." Uti autem haec epistola (VIII) justum habet

commune fuisse salutis principium, nempe quod in maximo periculo Dionysius et Hipparinus (uterque maior) creati essent τύραννοι αὐτοκράτορες, quorum ope Hellenes a barbarorum servitute liberatos esse; ob quae merita gratiam deberi servatoribus (p. 353 B). Deinde praesentem rerum statum talem esse dicit, ut neutris partibus facile spes sit vincendi adversarios, immo metuendum sit ne Sicilia fiat praeda Opicorum et Poenorum: quare opus esse tale inveniri remedium, quod utrisque acceptum et utile sit futurum. Deinceps tanquam arbiter, διαιτητοῦ τρόπον, sententiam suam enuntiat (p. 354 A).

Principibus suadet ut nomen et imperium tyranni mutent in βασιλείαν et dominum constituant legem, exemplum sequentes Lycurgi, qui hac ratione Spartam servasset incolumem; populares autem monet cavere ne ἐλευθερίας ἀπληστίᾳ incidant in ἀναρχίαν, edocti exemplo prioris temporis, quum nimia libertas servitutem pepererit: δουλεία γὰρ καὶ ἐλευθερία ὑπερβάλλουσα μὲν ἑκάτερα πάγκακον, ἔμμετρος δ' οὖσα πανάγαθον· μετρία δὲ ἡ θεῷ δουλεία, ἄμετρος δὲ ἡ τοῖς ἀνθρώποις· θεὸς δ' ἀνθρώποις σώφροσι νόμος, ἄφροσι δὲ ἡδονή. (p. 354 E).

His dictis Dionem tanquam e mortuis reducem ad Syracusanos loquentem facit. Postquam docuit legem spectare oportere non quod volupe, sed quod rectum sit, neque ad divitias tendere, sed ad virtutem, dicit utrique factioni utile et aequum esse per compositionem finem belli facere, ut civibus sit ἐλευθερία cum potestate regia, regibus autem sit ἀρχὴ ὑπεύθυνος, universis vero, tam regi quam civibus, lex imperet. Tum reges iis commendat primo loco filium suum, secundo Hipparinum prioris Dionysii filium, tertio Dionysium minorem, expulsum tyrannum,

ea conditione ut tyrannidem in βασιλείαν vertat (p. 356 A sq). Deinde docet rempublicam sic ordinandam esse uti antea dictum esset: assentientibus regibus creandos esse legatos, qui κύριοι τῶν διαλλαγῶν pactum faciant, tum rempublicam ordinent ita, ut praesint reges tanquam sacrorum antistites, his addantur XXXV νομοφύλακες, qui cum δήμῳ et βουλῇ de bello et pace decernant, iidemque sint judices θανάτου καὶ φυγῆς, additis selectis judicibus e magistratuum collegiis. Haec consilia fatetur effectu difficilia quidem esse, non tamen ἀδύνατα. Quare orat ne prius desistant, quam ea, quae nunc θεῖα ὀνείρατα videntur, rata et effecta reddiderint.

Epistolam hanc nonnulli partem esse putaverunt superioris male inde divulsam, tum ob prima epistolae verba: Ἃ δ' ἂν διανοηθέντες μάλιστα εὖ πράττοιτε, quae non videbantur justum initium facere, tum quod hac epistola contineretur ἡ ξυμβουλὴ in priore epistola promissa. At initium recte se habet, si animadvertimus salutationem partem esse ipsius epistolae; quare praeeunte Hermanno interpungatur hoc modo: Πλάτων τοῖς Δίωνος οἰκείοις τε καὶ ἑταίροις εὖ πράττειν, ἃ δ' ἂν διανοηθέντες μάλιστα εὖ πράττοιτε ὄντως πειράσομαι διεξελθεῖν. Simile est initium Epistolae XIII, quod item male solet interpungi, sic legendum: Πλάτων Διονυσίῳ τυράννῳ Συρακουσιῶν εὖ πράττειν ἀρχή σοι τῆς ἐπιστολῆς ἔστω καὶ ἅμα ξύμβολον ὅτι παρ' ἐμοῦ ἐστί: h. e. „salutandi formula: Πλάτων Διονυσίῳ εὖ πράττειν (qua personatus Plato uti solet pro vulgari χαίρειν, cf. supra p. 89 sq.) tibi documento sit, hanc epistolam a Platone missam esse." Uti autem haec epistola (VIII) justum habet

initium, ita praegressa (VII) justum habet finem et absolvitur verbis: *Τὰ δὴ μετὰ τὰ νῦν ῥηθέντα ἃ ξυμβουλεύω σχεδὸν εἴρηταί τέ μοι καὶ εἰρήσθω .... εἰ δ' ἄρα τινὶ τὰ νῦν ῥηθέντα εὐλογώτερα ἐφάνη καὶ προφάσεις πρὸς τὰ γενομένα ἱκανὰς ἔχειν ἔδοξέ τῳ, μετρίως ἂν ἡμῖν καὶ ἱκανῶς εἴη τὰ νῦν εἰρημένα.* Quod autem ad promissum consilium attinet, id perfecit et terminavit his verbis (p. 337 E): *ξυμβουλὴ μὲν δὴ καὶ ἐπιστολὴ εἰρήσθω.* Sed utriusque epistolae differentia clarius etiam ex hoc apparet, quod non eodem tempore scriptae finguntur nec in eodem rerum statu. In Epistola VII consilia dat Dionis familiaribus tanquam victoribus, quibus suadet ut moderate erga victos se gerant et recte rempublicam ordinent (p. 336 E — 337 C); in VIII[a] utrisque partibus longa contentione lassatis suadetur ut per compositionem finem faciant belli civilis et communi ope rempublicam constituant (p. 355 D). Itaque haec epistola etsi scripta ad Dionis amicos, destinata tamen est ut etiam ab horum adversariis et a cunctis civibus legeretur, quod ipsum initium profitetur: *ἐλπίζω δ' οὐχ ὑμῖν μόνοις ξυμβουλεύσειν τὰ ξυμφέροντα, μάλιστά γε μὴν ὑμῖν, καὶ δευτέροις πᾶσι τοῖς ἐν Συρακούσαις, τρίτοις δὲ ὑμῶν καὶ τοῖς ἐχθροῖς καὶ (τοῖς) πολεμίοις.*

Ergo apparet huius epistolae idem esse argumentum ac superioris, sed alio modo tractatum et aliquanto plenius. Aperte hoc indicant ipsa epistolae verba, quibus ad priorem epistolam lectores quasi remittit, p. 356 B, C: *καταστήσασθε τρόπῳ τινὶ τοιῷδε, ὃς εἴρηται μὲν καὶ πρότερον ὑμῖν, ὅμως δ' ἔτι καὶ νῦν ἀκούετε.* et paulo post: *ἐπὶ τούτοις καλεῖτε, ὥσπερ καὶ πρότερον ἐῤῥήθη, πρέσβεις οὓς ἂν ἐθελήσωσι κτέ.* quae dicta respiciunt ad ea quae leguntur Epist. VII, p. 337 B: *τοὺς δὴ κρατήσαντας*

ἀεὶ χρὴ . . . αὐτοὺς ἐν αὑτοῖς ἄνδρας προκρῖναι τῶν ἄλλων, οὓς ἂν πυνθάνωνται ἀρίστους ὄντας, πρῶτον μὲν γέροντας κτἑ. Item quae Dio hic de sua voluntate dicit p. 357 A: *ταῦθ' ὑμῖν ἐγὼ καὶ ζῶν διενοήθην γίγνεσθαι καὶ νῦν διανοοῦμαι κτἑ.* haec expressa sunt ex iis quae de eodem scripta sunt in Epist. VII, p. 335 E: *Δίωνα γὰρ ἐγὼ σαφῶς οἶδα . . . ὅτι τὴν ἀρχὴν εἰ κατέσχεν . . . τὸ μετὰ τοῦτ' ἂν πάσῃ μηχανῇ ἐκόσμησε νόμοις τοῖς προσήκουσί τε καὶ ἀρίστοις τοὺς πολίτας, τό τ' ἐφεξῆς τούτοις προὐθυμεῖτ' ἂν πρᾶξαι, πᾶσαν Σικελίαν κατοικίζειν καὶ ἐλευθέραν ἀπὸ τῶν βαρβάρων ποιεῖν.* Colligi inde potest, hanc epistolam e superiore fluxisse et huius esse quasi supplementum, quo retractatur *ξυμβουλὴ* Syracusanis data, sicut Epistola III est quasi compendium eorum quae in Epist. VII de Platonis itineribus in Siciliam leguntur.

Si formam huius epistolae spectas, haec prorsus refert *δημηγορίαν.* Est exercitatio e genere suasionum, abundans sententiis, luminibus et figuris. Quod Dio ex inferis excitatur et loquens inducitur, notum est et illustre rhetorum artificium. Inserti sunt loci communes, quos inter eminet hicce: optimam esse civitatem in qua *νόμος* sit *βασιλεὺς τῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' οὐκ ἄνθρωποι τύραννοι νόμων.* p. 345 B; et qui paulo post legitur: *μετρία δὲ ἡ θεῷ δουλεία, ἄμετρος δὲ ἡ τοῖς ἀνθρώποις· θεὸς δ' ἀνθρώποις σώφροσι νόμος, ἄφροσι δὲ ἡδονή.* Quae vero de ipsa reipublicae ordinandae ratione dicuntur, ea tam obscure et confuse exposita sunt, ut vel inde non veram causam tractari efficias.

In dictione magna similitudo est cum Epistola VII. Non modo simile est verborum et sententiarum Plato-

nicarum aucupium, similes orationis ambages et pompa, antitheta, synonyma, cetera id genus; sed etiam frequens eorundem vocabulorum et constructionum usus. Idem est in utraque epistola abusus vocabuli *σχεδόν*. Vid. p. 352 E; 353 A, D, E; 357 B. Circumlocutio verbi *γίγνεσθαι*, frequens in priore epistola (cf. p. 43), etiam in hac non semel occurrit, ut p. 353 B: *ξυμβῆναι γενομένην*, ibid D: *ξυμβαίνει γιγνόμενον*, et eadem pagina A: *ἐκβαρβαρωθεῖσαν γενέσθαι* pro *ἐκβαρβαρωθῆναι*. Verbum *δεῖν*, quod in superiore notavimus, p. 45, per abundantiam positum p. 352 D: *ξυμβουλὴ δὴ περὶ τῶν τοιούτων ὀρθὴ δόκει ἑκάστοτε τοῖς πολλοῖς εἶναι ταῦτα ξυμβουλεύειν δεῖν, κτέ.* Denique eadem est affectatio gravitatis, idem tumor, eaedem argutiae, quod ut appareat, liceat epistolam carptim percurrere.

Post salutationem dicit haec: *ἐλπίζω δ' οὐχ ὑμῖν μόνοις ξυμβουλεύσειν τὰ ξυμφέροντα, μάλιστά γε μὴν ὑμῖν, καὶ δευτέροις πᾶσι τοῖς ἐν Συρακούσαις, τρίτοις δ' ὑμῶν καὶ τοῖς ἐχθροῖς καὶ πολεμίοις, πλὴν εἴ τις ἀνοσιουργὸς γέγονεν.* In his: *μάλιστα ὑμῖν — δευτέροις — τρίτοις*, agnoscimus colorem superioris epistolae (cf. p. 35). Illud ternarii numeri aucupium cernitur etiam p. 355 B: *δέξασθε νόμους, οἵτινες ἂν ὑμῖν φαίνωνται μὴ πρὸς χρηματισμὸν καὶ πλοῦτον τρέψοντες τὰς γνώμας ὑμῶν μήτ' ἐπιθυμίας, ἀλλ' ὄντων τρίων, ψυχῆς καὶ σώματος, ἔτι δὲ χρημάτων, τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν ἐντιμοτάτην ποιοῦντες, δευτέραν δὲ τὴν τοῦ σώματος ὑπὸ τῇ τῆς ψυχῆς κειμένην, τρίτην δὲ καὶ ὑστάτην τὴν τῶν χρημάτων τιμὴν κτέ.* Omitto vitiosam juncturam: *μὴ . . . τρέψοντες τὰς γνώμας ὑμῶν μήτ' ἐπιθυμίας.* Sententia autem de triplici bonorum genere hoc loco est

pannus inutiliter assutus; nam scriptoris menti sufficiens fuisset dicere: *μὴ πρὸς χρηματισμὸν καὶ πλοῦτον... ἀλλὰ πρὸς ἀρετήν*. Tripartita autem illa bonorum divisio, quae tangitur etiam Epist. VII, p. 331 A, petita est e Platone de Legg. (ut notavimus supra p. 67). Deinde p. 355 E, Dio Syracusanis principes commendat Hipparinos duos et, quod nemo exspectasset, tertium Dionysium, ad quem expellendum ipse arma ceperat; quam ob causam hunc addiderit vix conjicere licet, nisi forte ut ternarium numerum expleret. Quid enim opus erat tribus, quum praesertim Lycurgus, cuius instituta dicit se ob oculos habere (p. 354 B), duos tantum reges creari voluerit. Vocabulo *ἀνοσιουργός τις* intelliguntur Callippus Dionis interfector ejusque facinoris socii; *ἀνοσιουργός* significat eum qui caede et rapina se polluit eoque inexpiabile *ἄγος* contraxit, *ὁ ἐναγής*. Eodem sensu in Epist. VII, p. 335 B, legitur *ἀνοσιουργία*; neutra vox Platoni usurpata.

Pergit sic: „Plerique talia solent dare consilia quae amicis salubria, hostibus vero noxia et adversa habeantur; atqui haec vulgo aeque nocent utrisque partibus. In promtu sunt exempla quae hoc docent.” Ultimum hoc ita enuntiat: *δεῖ δ' οὐ μακρὰν ἐλθόντας ποι τὰ τοιαῦτα ἐναργῶς ἰδεῖν, ἀλλ' ὅσα νῦν γέγονε τῇδε αὐτοῦ περὶ Σικελίαν*: quaesita constructio et obscura pro: *δεῖ δ' οὐ μακρὰν ἐλθεῖν ἵνα ταῦτά τις ἴδῃ, ἀλλ' ἃ νῦν γέγονε σκοπεῖν κτέ.* Jam consilium, quod daturus est Syracusanis, dicit esse negotium difficile factu ac potius voti simile: *τῶν δ' ὅσα γένοιτ' ἂν ἢ πᾶσι ξυμφέροντα ἐχθροῖς τε καὶ φίλοις ἢ ὅτι σμικρότατα κακὰ ἀμφοῖν, ταῦτ' οὔτε ῥᾴδιον ὁρᾶν οὔτ' ἰδόντα ἐπιτελεῖν, εὐχῇ δὲ προσέοικε ἡ τοιαύτη ξυμβουλή τε καὶ ἐπιχείρησις τοῦ λόγου.* In principio genitivus *τῶν* non

habet quo referatur; *ἀνακολούθως* positus est; mox ei substituitur *ταῦτ' οὔτε ῥᾴδιον.* Dictum *κακὰ ἀμφοῖν*, oppositum praegresso *ξυμφέροντα*, pro *ἀμφοτέρους βλάπτοντα*, valde durum est. Quod dicit *εὐχῇ δὲ προσέοικε*, decerptum est, ut Astius animadvertit (Plato's Leb. u. Schr. p. 223) e Platone, qui saepius hac dictione utitur, ut de Rep. VII, p. 540, D: *ξυγχωρεῖτε μὴ παντάπασιν ἡμᾶς εὐχὰς εἰρηκέναι, ἀλλὰ χαλεπὰ μὲν, δυνατὰ δέ;* Videtur tamen hoc loco non serio ita loqui scriptor, sed potius flosculum inserere voluisse orationi, quare statim se corrigit addens haec: *ἔστω δὴ παντάπασι μὲν εὐχή τις, ἀπὸ γὰρ θεῶν χρὴ πάντα ἀρχόμενον ἀεὶ λέγειν τε καὶ νοεῖν.* Est haec figura *διόρθωσις* vocata in rhetoricis, qua dictorum sensus immutatur; nam in dictione *εὐχῇ προσέοικε* vox *εὐχὴ* significat quod optare vix audeas, posteriore loco proprie positum est de precibus ac votis quae diis facimus, ut inceptis faveant. Sententia expressa e Timaeo, p. 48 D: *θεὸν δὴ καὶ νῦν ἐπ' ἀρχῇ τῶν λεγομένων... ἐπικαλεσάμενοι πάλιν ἀρχώμεθα λέγειν.* Idem praeceperat antea ibid. p. 27 C. Porro addit: *ἐπιτελὴς δ' εἴη (ἡ εὐχὴ) σημαίνουσα ἡμῖν τοιόνδε τινὰ λόγον.* *Εὐχὴ σημαίνουσα λόγον* est quaesita dictio, imo vero inepta: dicitur: *ὁ λόγος σημαίνει τι, sermo aliquid indicat, significat;* sed *εὐχὴ σημαίνει λόγον* non aptum habet sensum. Amat noster huiusmodi periphrasin, e. g. p. 355 A: *τίν' οὖν δή... λόγον ἀποφαίνεται ... ἡ Δίωνος ξυμβουλή;* p. 354, A: *καὶ νῦν δ' ὁ γ' ἐμὸς λόγος ἂν εἴη ξύμβουλος τυράννῳ παντί.* ibidem C: *ὃ δὴ καὶ νῦν οὑμὸς λόγος πᾶσι παρακελεύεται*, et alibi.

Sequuntur haec: *νῦν ἡμῖν καὶ τοῖς πολεμίοις σχεδὸν, ἐξ οὗπερ γέγονεν ὁ πόλεμος, ξυγγένεια ἄρχει μία διὰ τέλους,*

ἥν ποτε κατέστησαν οἱ πατέρες ὑμῶν εἰς ἀπορίαν ἐλθοντες τὴν ἅπασαν, τόθ' ὅτε κίνδυνος ἐγένετο ἔσχατος Σικελίᾳ τῇ τῶν Ἑλλήνων ὑπὸ Καρχηδονίων ἀνάστατον ὅλην ἐκβαρβαρωθεῖσαν γενέσθαι. Quid verbis ξυγγενεία μία διὰ τέλους significetur conjectu difficile esset, nisi res indicaret. Intelligitur nempe hoc. Quo tempore metus erat ne tota Sicilia a Carthaginiensibus opprimeretur, cives Syracusani imperium mandarunt duobus viris propinquis, Dionysio et Hipparino, unde nati Dionysius et Hipparinus juniores. Hanc igitur principum familiam dicit ξυγγενείαν μίαν; scite autem addit: διὰ τέλους ἄρχει, *perpetuo regnat*, ambo scilicet regno paene orbati! Est illud abstractum pro concreto, quod dicitur, satis durum; simile hoc, Epist. VII, p. 344 D: εἰς ἀναρχίαν καὶ ἀπρεπείαν ἐκβάλλειν, h. e. evulgare in *vile vulgus* Animadvertas quoquc cumulata epitheta: εἰς ἀπορίαν τὴν ἅπασαν, κίνδυνος ἔσχατος, ἀνάστατον ὅλην ἐκβαρβαρωθεῖσαν γένεσθαι. Ampullae. Verbum autem ἐκβαρβαρόω, etsi per se bonum, apud Platonem non legitur.

Pinguis et adipatae dictionis exemplum offert haec sententia p. 353 D: νῦν δ' ἐννοεῖν ὑμᾶς ἀμφοτέρους χρεὼν καὶ ἀναμιμνήσκεσθαι, ποσάκις ἐν ἐλπίδι ἑκάτεροι γεγόνατε τοῦ νῦν οἴεσθαι σχεδὸν ἀεί τινος σμικροῦ ἐπιδεεῖς εἶναι τὸ μὴ πάντα κατὰ νοῦν πράττειν. Quanta moles verborum pro: ἀναμιμνήσκεσθαι, ποσάκις ἐν ἐλπίδι ἑκ. γεγόνατε (vel ποσάκις ᾠήθητε) νῦν ὀλιγοῦ δεῖν πάντα κατὰ νοῦν ἔσεσθαι: „reputate, quoties jam spem conceperitis fore ut nunc demum omnia ex animi sententia evenirent." Elegans scilicet circumlocutio, ἐν ἐλπίδι γεγόνατε τοῦ οἴεσθαι. Tum σχεδὸν ἀεὶ, quum praecessit ποσάκις, plane abundat, atque νῦν male transpositum, quum referendum sit ad

seqq. σμικροῦ ἐπιδεεῖς εἶναι. Constructio autem ἐπιδεεῖς εἶναι τὸ μὴ — vereor ne non Graeca sit.

Affectatae verborum argutiae cernuntur in hoc loco, p. 354 A: Λέγω γὰρ δὴ διαιτητοῦ τινὰ τρόπον διαλεγόμενος ὡς δυοῖν, τυραννεύσαντί τε καὶ τυραννευθέντι, ὡς ἑνὶ ἑκατέρῳ παλαιὰν ἐμὴν ξυμβουλήν. Quam quaesitae ne dicam ineptae anthitheses: λέγω — διαλεγόμενος, τυραννεύσαντι — τυραννευθέντι, ὡς δυοῖν — ὡς ἑνί. Simile est quod mox legimus: ὃς ἰδὼν ... διαφθείραντας ἑαυτοὺς καὶ τὴν πόλιν ἑκατέρους ἑκατέραν, postrema inepte addita; et p. 356 A: τρίτον δὲ προκαλεῖσθαι χρὴ βασιλέα ... ἑκόντα ἑκούσης τῆς πόλεως ... ἐὰν ἐθέλῃ ἑκὼν κτἑ. Prorsus autem ineptum quod deinceps scribit: δύναμιν αὐτοῖς δόντες εἶτ᾽ ἀφελόντες: quomodo sermo potest esse de adimenda potestate ei, cui nondum ulla potestas commissa est? ἀφελόντες aperte additum, ut oppositum sit verbo δόντες. Vides scriptorem argutias venantem, de sensu parum sollicitum.

Expromam etiam unum et alterum locum tanquam specimen grandiloquentiae et tragicae verborum pompae. Huiusmodi sunt haec, p. 354 C: ὃ δὴ καὶ νῦν οὑμὸς λόγος πᾶσι παρακελεύεται... φεύγειν φυγῇ ἀπλήστως πεινώντων εὐδαιμόνισμα ἀνθρώπων καὶ ἀνοήτων, h. e. fugere *hominum insatiabili fame esurientium delicias et dementium*, intelligit tyrannidem. Et p. 357 A: κρατήσας τῶν ἐχθρῶν μεθ᾽ ὑμῶν, εἰ μὴ ξενικαὶ Ἐριννύες ἐκώλυσαν, h. e. *hospes qui me interfecit*, nempe Callippus, qui in Epistola VII, p. 336 B, simili metaphora vocatur ἀλιτήριός τις ἐμπεσὼν ἀνομίᾳ καὶ ἀθεότητι. Nihil vero splendidius quam enuntiatum in epilogo, quo epistolam vel potius δημηγορίαν claudit. Dio suadet amicis,

ut consilia a se data omni ope efficiant, his verbis: *μὴ ἀποστῆτε, πρὶν ἂν τὰ νῦν ὑφ' ἡμῶν λεχθέντα οἷον ὀνείρατα θεῖα ἐπιστάντα ἐγρηγορόσιν, ἐναργῆ τε ἐξεργάσησθε τελεσθέντα καὶ εὐτυχῆ*, „*nolite prius desistere, quam ea quae a nobis dicta sunt, sicut divina somnia vigilantibus adstantia, manifeste impleta reddideritis et felicia.*" Quid sunt sesquipedalia verba, nisi haec sunt?

Ut autem in superiore epistola, ita in hac quoque frequens est imitatio Platonis tam in verbis quam in rebus et sententiis, cuius generis quaedam apponere lubet antequam missam faciam hanc epistolam. Exemplo sit locus quem modo attigi p. 354 B, ubi haec de Lycurgo: *ὃς ἰδὼν τὸ τῶν οἰκείων γένος ἐν Ἄργει καὶ Μεσσήνῃ ἐκ βασίλεων εἰς τυράννων δύναμιν ἀφικομένους καὶ διαφθείραντας ἑαυτούς τε καὶ τὴν πόλιν κτέ.* Expressa haec sunt e libro de Legg. III, p. 690 D, ubi Plato, postquam docuit quinam magistratus et quomodo creandi sint, ita pergit: *πρῶτον δὲ μεθ' ἡμῶν ἀνάσκεψαι πῶς τε καὶ τί παρὰ ταῦτα ἁμαρτάνοντες οἱ περί τ' Ἄργος καὶ Μεσσήνην βασιλεῖς αὐτούς ἅμα καὶ τὴν τῶν Ἑλλήνων δύναμιν . . . διέφθειραν.* Epistolographus pro *τὴν Ἑλλήνων δύναμιν* scripsit *τὴν πόλιν*, parum apte, quum de duabus civitatibus unius gentis sermo sit, Argis et Messene. Sequentia autem ibid. D: *μή ποτε ἀπληστίᾳ ἐλευθερίας ἀκαίρου τινὸς εἰς τὸ τῶν προγόνων νόσημα* (h. e. tyrannidem) *ἐμπέσωσιν, ὃ διὰ τὴν ἄγαν ἀναρχίαν οἱ τότ' ἔπαθον, ἀμέτρῳ ἐλευθερίας χρώμενοι ἔρωτι*, in mentem revocant nobilissimum locum de Rep. VIII, p. 562 D (quem vertit Cicero de Rep. I, 43): *ἡ τοῦ τοιούτου* (sc. *πλούτου*) *ἀπληστία καὶ ταύτην τὴν πολιτείαν μεθίστησί τε καὶ παρασκευάζει τυραννίδος δεηθῆναι. Πῶς, ἔφη; Ὅταν, οἶμαι, δημοκρατουμένη πό-*

λις, ἐλευθερίας διψήσασα... ἀκράτου αὐτῆς μεθύσθῃ. Quod autem ibi dicitur ἡ ἄγαν ἀναρχία, factum ad similitudinem dicti Platonis, ἡ ἄγαν ἐλευθερία, quod legimus in eodem libro de Rep. p. 564 A: ἡ γὰρ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικεν οὐκ εἰς ἄλλο τι ἢ εἰς ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν: quibus, mutatis verbis, respondent haec quae in epistola deinceps leguntur: δουλεία γὰρ καὶ ἐλευθερία ὑπερβάλλουσα μὲν ἑκατέρα πάγκακον, ἔμμετρος δ' οὖσα πανάγαθον. His autem subjungitur praeclara sententia: μετρία δὲ ἡ θεῷ δουλεία, ἄμετρος δὲ ἡ τοῖς ἀνθρώποις· θεὸς δ' ἀνθρώποις σώφροσι νόμος, ἄφροσι δὲ ἡδονή. Refert haec nobilitatos hos Pindari versus, quos non semel tangit Plato: Νόμος, ὁ πάντων βασιλεὺς, θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων, ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον ὑπερτάτᾳ χειρί. Vid. Pindari fr. tom. III, nr. 151. ed. Boeckh. Plat. Prot. p. 137 D. de Legg. III, p. 690 B, ad quem locum cf. Astii Animadv. p. 170.

Etiam in iis quae Dionem dicentem facit de magistratibus novae civitati praeficiendis manifeste Platonem secutus est, quamquam, oblivione an consulto, huius praecepta paulum immutavit. Primum jubet, p. 356 D: πολέμου τε καὶ εἰρήνης ἄρχοντας νομοφύλακας ποιήσασθαι, ἀριθμὸν τριάκοντα καὶ πέντε, μετὰ δήμου καὶ βουλῆς· δικαστήρια δ' ἄλλα μὲν ἄλλων, θανάτου δὲ καὶ φυγῆς τούς τε πέντε καὶ τριάκοντα ὑπάρχειν. Etiam apud Platonem de Legg. VI, p. 752 D, memorantur νομοφύλακες, sed numero τριάκοντα καὶ ἑπτά, eorumque praecipuum munus est ut sint σωτῆρες νόμων, p. 770 B: capitalium causarum ceterarumque judicium non his mandat, sed tribunali ad id instituto. Quae post haec deinceps sequuntur: πρὸς τούτοις τ' ἐκλεκτοὺς γίγνεσθαι δικαστὰς ἐκ τῶν νῦν ἀεὶ περυσινῶν ἀρχόντων, ἕν' ἀφ'

ἑκάστης τῆς ἀρχῆς, τὸν ἄριστον δόξαντ' εἶναι καὶ δικαιότατον, in his ad verbum paene descripsit Platonem de Legg. p. 767 D, ubi jubet novo ineunte anno omnes magistratus (ἀρχὰς) convenire in templum, atque e singulis magistratuum collegiis unum eligi judicem, eum qui munere suo optime functus videatur: ὃς ἂν ἐν ἀρχῇ ἑκάστῃ ἄριστός τ' εἶναι δόξῃ καὶ ἄριστ' ἂν καὶ ὁσιώτατα τὰς δίκας . . . φαίνηται διακρίνειν.

Hactenus de epistolarum dictione et compositione, deinceps de rebus videndum est.

λις, ἐλευθερίας διψήσασα... ἀκράτου αὐτῆς μεθύσθῃ. Quod autem ibi dicitur ἡ ἄγαν ἀναρχία, factum ad similitudinem dicti Platonis, ἡ ἄγαν ἐλευθερία, quod legimus in eodem libro de Rep. p. 564 A: ἡ γὰρ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικεν οὐκ εἰς ἄλλο τι ἢ εἰς ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν: quibus, mutatis verbis, respondent haec quae in epistola deinceps leguntur: δουλεία γὰρ καὶ ἐλευθερία ὑπερβάλλουσα μὲν ἑκατέρα πάγκακον, ἔμμετρος δ' οὖσα πανάγαθον. His autem subjungitur praeclara sententia: μετρία δὲ ἡ θεῷ δουλεία, ἄμετρος δὲ ἡ τοῖς ἀνθρώποις· θεὸς δ' ἀνθρώποις σώφροσι νόμος, ἄφροσι δὲ ἡδονή. Refert haec nobilitatos hos Pindari versus, quos non semel tangit Plato: Νόμος, ὁ πάντων βασιλεὺς, θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων, ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον ὑπερτάτᾳ χειρί. Vid. Pindari fr. tom. III, nr. 151. ed. Boeckh. Plat. Prot. p. 137 D. de Legg. III, p. 690 B, ad quem locum cf. Astii Animadv. p. 170.

Etiam in iis quae Dionem dicentem facit de magistratibus novae civitati praeficiendis manifeste Platonem secutus est, quamquam, oblivione an consulto, huius praecepta paulum immutavit. Primum jubet, p. 356 D: πολέμου τε καὶ εἰρήνης ἄρχοντας νομοφύλακας ποιήσασθαι, ἀριθμὸν τριάκοντα καὶ πέντε, μετὰ δήμου καὶ βουλῆς· δικαστήρια δ' ἄλλα μὲν ἄλλων, θανάτου δὲ καὶ φυγῆς τούς τε πέντε καὶ τριάκοντα ὑπάρχειν. Etiam apud Platonem de Legg. VI, p. 752 D, memorantur νομοφύλακες, sed numero τριάκοντα καὶ ἑπτα, eorumque praecipuum munus est ut sint σωτῆρες νόμων, p. 770 B: capitalium causarum ceterarumque judicium non his mandat, sed tribunali ad id instituto. Quae post haec deinceps sequuntur: πρὸς τούτοις τ' ἐκλεκτοὺς γίγνεσθαι δικαστὰς ἐκ τῶν νῦν ἀεὶ περυσινῶν ἀρχόντων, ἕν' ἀφ'

ἑκάστης τῆς ἀρχῆς, τὸν ἄριστον δόξαντ' εἶναι καὶ δικαιότατον, in his ad verbum paene descripsit Platonem de Legg. p. 767 D, ubi jubet novo ineunte anno omnes magistratus (*ἀρχὰς*) convenire in templum, atque e singulis magistratuum collegiis unum eligi judicem, eum qui munere suo optime functus videatur: *ὃς ἂν ἐν ἀρχῇ ἑκάστῃ ἄριστός τ' εἶναι δόξῃ καὶ ἄριστ' ἂν καὶ ὁσιώτατα τὰς δίκας . . . φαίνηται διακρίνειν.*

Hactenus de epistolarum dictione et compositione, deinceps de rebus videndum est.

CAPUT VI.

DE REBUS HISTORICIS QUAE IN EPISTOLIS MEMORANTUR.

Praecipuum Epistolarum argumentum est de Platonis itineribus in Siciliam et de commercio quod ei cum Dionysio et cum Dione huiusque sociis fuit. Epistolae autem VII[ae] in exordio praemittuntur nonnulla ad rempublicam Athenarum spectantia, adolescente Platone, in VIII[a] memorantur quaedam de rebus Siculis, pulso Dionysio, et de huius familia; tanguntur Lycurgi instituta, quae tanquam exemplum ordinandae reipublicae proponuntur. In his igitur exponendis quae sit epistolographi diligentia et fides, videamus. Quaestio haec non levis est momenti et ponderis propter ipsarum Epistolarum, qualescumque sint, vetustatem et auctoritatem. Negari enim nequit, eas, praecipue VII[am], sive germanae putentur sive suppositae, in antiquissimis ponendas esse monumentis unde Platonis eiusque temporum res cognoscantur. Errant tamen qui eas unicum paene fontem esse opinantur aut tanti aestimant, ut cetera testimonia prae his paene nihili faciant. [1]) Constat enim easdem res multo plenius partim

1) Ut H. Ritter et Grote, citati supra p. 7 et 8.

ab historicis qui de temporibus illis scripserunt, partim a Platonis vitae enarratoribus esse expositas; quorum opera si exstarent, tum Platonis vita multo plenius pateret, tum de Epistolarum fide ac momento melius judicare possemus. Attamen servata nobis sunt seriorum scripta, quae e veteribus illis tanquam rivuli e fonte sunt derivata; in his multa passim exstant indicia et testimonia, quae auctoritate Epistolis certe non postponenda sunt. Quibus inter se collatis, de illarum fide et pondere aliquo modo existimare nobis licebit.

Scriptores qui his de rebus egerunt sunt partim historici, qui de regno Dionysiorum deque Dionis vita et rebus gestis memoriae prodiderunt, e quibus superstites sunt Cornelius Nepos in vita Dionis, Diodorus in historiarum libris XIV et XV et Plutarchus in vita Dionis; partim scriptores de vitis et placitis philosophorum, e quibus nominandi imprimis Apuleius (de dogm. Platonis) et Diogenes Laërtius; quibus accedunt alii qui minoris sunt ponderis aut qui res leviter attigerunt, uti Cicero, Plutarchus (in Opp. Mor.), Themistius, Olympiodorus, alii bene multi. Hi omnes, quatuor, quinque pluribusve saeculis Platone posteriores, antiquioribus usi sunt testibus, qui illius temporibus aequales aut suppares fuerunt. Quorum in numero ex historicis censendi sunt Timonides, qui in commentario scripto ad Speusippum [1]) egit de Dionis in Siciliam expeditione, cui ipse interfuit, tum Philistus, Theopompus, Ephorus, Timaeus, e quibus Nepos, Diodorus et Plutarchus suo quisque arbitratu sua depromserunt. Ex his Philistum, acerrimum

1) Cf. Plutarch. in vit. Dionis, c. 35.

Platonis adversarium, parum honorifice de eo mentionem fecisse dubitari nequit, nec mirum foret si Epistolae III et VII ad illius potissimum maledicentiam redarguendam essent compositae. [1])

Diogenes Laërtius, Apuleius, ceteri secuti sunt potissimum libros et commentarios philosophorum et biographorum, quorum ille magnum numerum citat. Ex his nominasse sufficiat eos qui Platonis aetati proximi fuerunt: Speusippum in Πλάτωνος περιδείπνῳ, Clearchum in Πλάτωνος ἐγκωμίῳ, Neanthem Cyzicenum, Dicaearchum Περὶ βίων, Hermodorum, Aristoxenum, Heraclidem, Theopompum. Diogenes autem etsi auctores illos passim citat, tamen plerumque oscitanter nullo judicio eos adhibuit, plura vero non e fontibus ipsis, sed aliorum e rivulis hausit; quae de Platonis vita habet, ea partim e Favorini commentariis et historiis videtur concinnasse. [2]) Platonis autem quae feruntur Epistolae a Nepote et a Diodoro non videntur adhibitae esse; sedulo vero his usi sunt Plutarchus et Laërtius, qui eas tanquam germana Platonis scripta et gravissima testimonia citant.

Hi igitur sunt fontes, haec testimonia, quibus cum Epistolis conferendis, quid in his vere et recte, quid secus relatum sit, quoad licitum est, dijudicemus. In quo ipsum Epistolarum ductum sequentes tractabimus primo quae in Epistola VII de Athenarum statu et de

---

1) Vid. Marres, Diss. inaug. de Favorino. Traj. ad Rh. 1853, p. 99.

2) Philistus Dionysii minoris vitam et res gestas comscripsit usque ad annum a. C. 363: igitur de tertio Platonis itinere, quod incidit in a. 361, non scripsit. Vid. Haug, die Quellen Plutarchs, p. 63.

Platonis sententia de republica dicuntur; tum de itineribus in Siciliam susceptis, denique de ceteris rebus quae in Epistola VIII tanguntur.

§ 1.

De Athenarum statu adolescente Platone. De damnatione Socratis.

In Epistolae exordio de Athenarum conditione, qualis sub triginta viris et proximo deinceps tempore fuerit, haec dicuntur, p. 324 C. „Adolescens, dicit scriptor, quum cogitarem rempublicam capessere, tempora mihi adversa fuerunt: *ὑπὸ πολλῶν γὰρ τῆς τότε λοιδορουμένης πολιτείας* (np. *τῆς δημοκρατίας*) *μεταβολὴ γίγνεται, καὶ τῆς μεταβολῆς εἷς καὶ πεντήκοντά τινες ἄνδρες προὔστησαν ἄρχοντες, ἕνδεκα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δ' ἐν Πειραιεῖ, περὶ τ' ἀγορὰν ἑκάτεροι τούτων ὅσα τ' ἐν τοῖς ἄστεσι διοικεῖν ἔδει, τριάκοντα δὲ πάντων ἄρχοντες κατέστησαν αὐτοκράτορες.* Abolita democratia, reipublicae praepositos esse dicit unum et quinquaginta viros, undecim in urbe, decem in Piraeo, triginta autem summa potestate omnibus imperantes.

Hic jam statim mirum accidit quod Athenis praepositi esse dicuntur LI viri, quasi hi, etsi potestatis gradu dispares, unum tamen consilium effecerint. Ab omnibus veteribus scriptoribus uno consensu *οἱ τριάκοντα* nominantur tanquam summus magistratus, summum collegium, cui ceteri omnes parerent. Illa appellatio neque apta et est insolita. Mirum etiam quod additur *πεντήκοντά τινες*, quasi hi obscuri aut ignoti homines fuerint. Pronomen *τις* hîc non magis scite appositum quam infra,

quum Socratis accusatores dicuntur *δυναστεύοντές τινες*. Sed, ut jam antea vidimus (p. 48), pronomen hoc a scriptore nostro saepe affectato elegantiae studio inculcatum. Deinde illos LI sic distinguit: *οἱ τριάκοντα* erant *πάντων ἄρχοντες αὐτοκράτορες*. Hoc quidem notum. His subjecti *ἕνδεκα* viri in urbe, *δέκα* in Piraeo; horum de munere quae addit obscurius dicta sic explicanda sunt: *ἑκάτεροι τούτων* (*ὄντες*) *περί τ' ἀγορὰν καὶ ὅσα ἐν τοῖς ἄστεσι διοικεῖν ἔδει*, h. e. „utrique tractantes res forenses et urbanas in oppido et in Piraeo;" haec enim ambo significantur *τοῖς ἄστεσι*, contra usum Atticorum, a quibus semper *τὸ ἄστυ* opponitur *Πειραιεῖ*, ut in Platone de Rep. I, init.: *Κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος, . . . προσευξάμενοι δὲ καὶ θεωρήσαντες ἀπῇμεν πρὸς τὸ ἄστυ*. Doct. Scheibe (die Oligarch. Umwalzung zu Athen, p. 68 not.) verba ista corrupta putat; sed quisquis epistolam attente legerit, huiusmodi sordes non mirabitur. Quod autem ad rem attinet, opponuntur hic sibi undecimviri et decemviri sic, quasi utrique eodem munere, alteri in urbe, alteri in Piraeo, functi sint. Atqui hos plane dispares et dissimiles inter se fuisse cum e numero colligi potest, tum historia arguit.

Docent historici, expugnatis Athenis, Lysandri voluntate a populo creatos esse triginta viros ordinandae et regendae reipublicae. Xenoph. Hell. II, 3, 2: *ἔδοξε τῷ δήμῳ τριάκοντα ἄνδρας ἑλέσθαι*. Rem copiose enarrat Lysias c. Eratosth. p. 126. Praeter hos Lysander decem praefectos praeposuit Piraeo, quos una cum illis expresse nominat Plutarchus, Lys. c. 15: *τριάκοντα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δ' ἐν Πειραιεῖ καταστήσας ἄρχοντας*. Decem hos Lysandri arbitrio ibi constitutos esse ex eo quoque col-

ligi potest, quod idem imperator in omnibus civitatibus quas expugnavit decemviralem potestatem, *δεκαδαρχίαν*, constituit. [1]) Idem fecit in Piraeo, nimirum ut portum hunc, quo commeatus urbi suppetebat, eo firmius in sua teneret potestate. Hi decemviri a Xenophonte (II, 4, 19) vocantur *οἱ ἐν Πειραιεῖ ἄρχοντες δέκα.* Quales vero fuerunt illi undecim? Fuerunt hi certe magistratus a XXX viris creati; nam, ut dicit Xenophon II, 3, 11, *οἱ τριάκοντα τὴν βουλὴν καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς κατέστησαν ὡς ἐδόκει αὐτοῖς*: in his certe fuerunt *οἱ ἕνδεκα*, qui adeo decem illis non fuerunt dignitate pares. Quaenam autem sunt munera quae Epistola utrisque tribuit? *διοικεῖν τὰ περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὰ κατὰ τὰ ἄστη*, h. e. eam potestatem, quam *ἀστύνομοι* et *ἀγοράνομοι* tam in urbe quam in portu exercere solebant, ut ordinem et disciplinam tuerentur, delicta palam commissa punirent, alia. [2]) Hoc neutris illorum convenit. Vidimus decemviros in Piraeo vocari *ἄρχοντας ἐν Πειραιεῖ*, quae potestas maior est et latius patet quam *τῶν ἀστονόμων* et *τῶν ἀγορανόμων*. Undecimviri autem qui sub XXX viris fuisse memorantur, plane iidem sunt eodemque munere functi, quo sub democratia tam ante quam post illud tempus fungi solebant: erant magistratus qui curabant damnatos in vincula conjiciendos et supplicio affi-

1) Vid. Hermann, Lehrbuch der Griech. Staatsalterth. § 39, 7. Cf. Taylor, vit. Lysiae, p. 136. Errant, qui decemviros a XXX viris institutos esse opinantur, ut Fréret ll. p. 246: „Théramène et Critias... nommèrent... onze magistrats qui avaient sous leurs ordres „l'administration de la ville, et dix qui avaient celle du Pirée." Item Grote, Hist. of Greece, Vol. VIII. p. 239.

2) Describit horum officium Plato de Legg. VI, 10. Cf. Hermann, Lehrbuch, § 150, 10—12.

ciendos. Hi Critiae jussu Theramenem ad supplicium rapuerunt (Xenoph. II. 3, 54); iidem antea duces ad Arginusas morte multarunt (τούτους μὲν οὖν οἱ ταχθέντες ὑπὸ τῶν νόμων ἕνδεκα ἀπέκτειναν. Diod. XIII, 102), iidemque postea Socratem occidendum curarunt. Attamen sunt qui hos undecimviros qui sub XXX tyrannis fuere, ab iis qui sub populari imperio, diversos fuisse contendunt; [1]) quo nihil, ut opinor, potest esse improbabilius, ne dicam absurdius. Nimirum statuendum esset, aut undecimviros sub XXX tyrannis cum illo quod diximus officio conjunxisse officia ἀστυνόμων et ἀγορανόμων, aut duo simul fuisse collegia undecimvirorum, quorum alteri delicta capitalia punirent, alteri τὰ ἐν ἄστει curarent. Posterius nemo sanus putabit; prius vel ideo improbabile, quia tantus sub XXX viris fuit damnatorum numerus, ut vix aliis negotiis possent vacare. Neque ulla est causa cur dubitetur ἀστυνόμους et ἀγορανόμους, aeque ac ceteros magistratus plerosque, etiam sub XXX viris fuisse. Quid multa? Manifestum opinor, hunc locum, qui adhuc crux fuit interpretum, uti verbis obscurus est, ita rebus esse confusum, atque auctorem prodere cui nec sermo Atticorum neque instituta probe essent cognita. Legerat scriptor pacis illud foedus post expulsos tyrannos inter cives initum, quo ἀμνηστία injuriarum et impunitas concessa omnibus πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα καὶ τῶν ἐν Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα (Xenoph. II. 4, 38. Andoc. de Myst. § 40). Hos omnes ille in unum collegium confudit et Athenis praefectos imposuit LI,

1) Hermannus in censura libri Scheibii, Die oligarch. Umwalz. zu Athen, quae exstat in Jahrb. für Wiss. Kritik, 1842. I. p. 146.

quorum deinceps munera et officia suo sibi arbitrio informavit.

Commemorans triginta virorum crudelitatem et violentiam, laudat Socratis constantiam, qui quum ab illis jussus esset Leontem Salaminium ex hac insula in tholum abducere, non paruit. Idem factum multo lucidius memoratur in Apologia Socratis, p. 32 C. Mox vero abolita illorum potestate, libertas restituta est. Quid autem tum accidit? *Κατὰ δέ τινα τυχὴν αὖ τὸν ἑταῖρον ἡμῶν Σωκράτη, τοῦτον δυναστεύοντές τινες εἰσάγουσιν εἰς δικαστήριον, ἀνοσιωτάτην αἰτίαν ἐπιβάλλοντες καὶ πάντων ἥκιστα Σωκράτει προσήκουσαν· ὡς ἀσεβῆ γὰρ οἱ μὲν εἰσήγαγον, οἱ δὲ κατεψηφίσαντο καὶ ἀπέκτειναν.* p. 325 B C. Accusatores Socratis hic appellantur *δυναστεύοντές τινες*. Verba *δυναστής*, *δυναστεύω*, *δυναστεία* praecipue usurpantur de unius vel paucorum dominatione, velut XXX virorum potestas erat *δυναστεία*; latiore tamen sensu *δυναστεύειν* etiam dicuntur ii, penes quos est summa potestas, in oligarchia *οἱ ὀλίγοι*, in democratia *οἱ πολλοί*. Hoc sensu intelligi hic non possunt *δυναστεύοντές τινες*, pro quo certe dici oportuerat *τῶν δυναστευόντων* (h. e. *τοῦ δήμου*, qui tum imperabat) *τινές*. Apertum est significari homines potentes in civitate, quales erant Socratis accusatores, Meletus, Anytus, Lyco, qui tum multum apud populum valebant: tales autem homines vocantur *μέγα δυνάμενοι*, non *δυναστεύοντες*. [1]) Horum, dicit, *οἱ μὲν εἰσήγαγον, οἱ δὲ κατεψηφίσαντο*: *alii accusarunt Socratem, alii con-*

1) De his Fréret, Acad. des Inscr. Tom. 47, p. 212 sq. Stallbaum ad Plat. Apol. c. 10, p. 23 E et ibid. c. 2, p. 18 B.

demnarunt. [1]) At quinam sunt qui Socratem damnaverunt? An homines nobiles, potentes? Imo Socrates damnatus est ab Heliastis, h. e. judicio populi, a consilio quingentorum fere judicum, qui sorte e sex millium numero capiebantur. Num hi dici possunt δυναστεύοντές τινες? Crederes fere scriptorem nostrum putasse Socratem ab Areopagi judicio damnatum esse, penes quod tribunal antiquitus fuerat judicium ἀσεβείας (Meurs. Areop. C. 9); quod tamen falsum esse jam pridem probavit Fréret in diss. laud. p. 264, et affirmarunt Meier et Schömann, Att. Proc. p. 305, not. 37.

§ 2.

De Platonis sententia politica et de causa peregrinationis.

Commemorato XXX virorum dominatu et injusta Socratis damnatione, scriptor explicat Platonis de republica capessenda sententiam et susceptae peregrinationis causam. „Haec quum considerarem, dicit, *ὅσῳ μᾶλλον διεσκόπουν ἡλικίας τ' εἰς τὸ πρόσθε προὔβαινον, τοσούτῳ χαλεπώτερον ἐφαίνετο ὀρθῶς εἶναί μοι τὰ πολιτικὰ διοικεῖν.* Corrupti nimirum erant mores civium et leges: *τά τε τῶν νόμων γράμματα καὶ ἔθη διεφθείρετο*: dicere voluit: *οἱ νόμοι καὶ τὰ ἔθη.* [2]) Denique, dicit, in

1) Pro **εἰσάγειν**, quod est verbum usitatum, paulo ante habet **εἰσάγειν εἰς δικαστήριον**; idem occurrit in Apol. p. 29 A: **τότ' ἂν με δικαίως εἰσάγοι τις εἰς δικαστήριον.** Hirschig ibi delevit **εἰς δικαστήριον** ut emblema, probabile tamen idem jam epistolographum in Platonis libro legisse.

2) Mira dictio; **νόμων ἔθη** dici possent *mores legibus constituti* sive *recepti*, sed distingui **νόμων ἔθη** et **νόμων γράμματα** ineptum puto, quasi

eam deductus sum sententiam, omnes civitates male ordinatas esse, *λέγειν τ' ἠναγκάσθην, ἐπαινῶν τὴν ὀρθὴν φιλοσοφίαν, ὡς ἐκ ταύτης ἐστὶ τά τε πολιτικὰ δίκαια καὶ τὰ τῶν ἰδιωτῶν πάντα κατιδεῖν, κακῶν δ' οὐ λήξειν τὰ ἀνθρώπινα γένη, πρὶν ἂν ἢ τὸ τῶν φιλοσοφούντων ὀρθῶς γε* (*τε*?) *καὶ ἀληθῶς γένος εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικὰς ἢ τὸ τῶν δυναστευόντων ἐν ταῖς πόλεσιν ἔκ τινος μοίρας θείας ὄντως φιλοσοφήσῃ.* p. 326 A. Haec cogitatio eum impulit ut relicta patria in Italiam migraret.

Secundum hoc igitur testimonium Plato post mortem Socratis non, ut vulgo traditum, statim peregre profectus est, sed remansit Athenis in patria, tota mente in hoc defixus, quomodo sanari civitatis morbus posset; quo magis autem aetate maturesceret, eo firmius hoc tenuit, solum remedium esse in *τῇ ὀρθῇ φιλοσοφίᾳ*: finem malorum nullum fore, nisi iidem essent imperantes iidemque philosophi. Quod quum in patria effici posse desperaret, excessit Athenis et in Italiam profectus est, putans nimirum, ibi fortasse melius moratam civitatem se inventurum, quae e philosophiae praeceptis ordinari posset. Idem consilium philosopho in aula Dionysii proficiscenti obversatum esse, Epistola non uno loco significat, p. 328 A: *ὥστε εἴπερ ποτὲ καὶ νῦν ἔλπις πᾶσα ἀποτελεσθήσεται τοῦ τοὺς αὐτοὺς φιλοσόφους τε καὶ πόλεων ἄρχοντας μεγάλων ξυμβῆναι γενομένους.* et p. 335 D: „Dionysius magnam ditionem possidebat, *ἐν ᾗ γενομένη φιλοσοφία τε καὶ δύναμις ὄντως ἐν ταὐτῷ, διὰ πάν-*

νόμιμα ἔθη non sint *γράμμασι* signata. Scripsitne *νόμων γράμματα καὶ ἤθη*, i. e. *legum literae et indoles?* At haec quoque quaesita est antithesis pro *mores et leges*. Similis periphrasis est in spurio Platonis libro Epinom. p. 976 B: *δόξης ἤθεσι προσέχοντες τὸν νοῦν* pro *δόξαις*.

demnarunt. [1]) At quinam sunt qui Socratem damnaverunt? An homines nobiles, potentes? Imo Socrates damnatus est ab Heliastis, h. e. judicio populi, a consilio quingentorum fere judicum, qui sorte e sex millium numero capiebantur. Num hi dici possunt *δυναστεύοντές τινες*? Crederes fere scriptorem nostrum putasse Socratem ab Areopagi judicio damnatum esse, penes quod tribunal antiquitus fuerat judicium *ἀσεβείας* (Meurs. Areop. C. 9); quod tamen falsum esse jam pridem probavit Fréret in diss. laud. p. 264, et affirmarunt Meier et Schömann, Att. Proc. p. 305, not. 37.

§ 2.

De Platonis sententia politica et de causa peregrinationis.

Commemorato XXX virorum dominatu et injusta Socratis damnatione, scriptor explicat Platonis de republica capessenda sententiam et susceptae peregrinationis causam. „Haec quum considerarem, dicit, *ὅσῳ μᾶλλον διεσκόπουν ἡλικίας τ' εἰς τὸ πρόσθε προὔβαινον, τοσούτῳ χαλεπώτερον ἐφαίνετο ὀρθῶς εἶναί μοι τὰ πολιτικὰ διοικεῖν.* Corrupti nimirum erant mores civium et leges: *τά τε τῶν νόμων γράμματα καὶ ἔθη διεφθείρετο*: dicere voluit: *οἱ νόμοι καὶ τὰ ἔθη.* [2]) Denique, dicit, in

1) Pro *εἰσάγειν*, quod est verbum usitatum, paulo ante habet *εἰσάγειν εἰς δικαστήριον*; idem occurrit in Apol. p. 29 A: *τότ' ἂν με δικαίως εἰσάγοι τις εἰς δικαστήριον.* Hirschig ibi delevit *εἰς δικαστήριον* ut emblema, probabile tamen idem jam epistolographum in Platonis libro legisse.

2) Mira dictio; *νόμων ἔθη* dici possent *mores legibus constituti* sive *recepti*, sed distingui *νόμων ἔθη* et *νόμων γράμματα* ineptum puto, quasi

eam deductus sum sententiam, omnes civitates male ordinatas esse, *λέγειν τ' ἠναγκάσθην, ἐπαινῶν τὴν ὀρθὴν φιλοσοφίαν, ὡς ἐκ ταύτης ἐστὶ τά τε πολιτικὰ δίκαια καὶ τὰ τῶν ἰδιωτῶν πάντα κατιδεῖν, κακῶν δ' οὐ λήξειν τὰ ἀνθρώπινα γένη, πρὶν ἂν ἢ τὸ τῶν φιλοσοφούντων ὀρθῶς γε* (*τε*?) *καὶ ἀληθῶς γένος εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικὰς ἢ τὸ τῶν δυναστευόντων ἐν ταῖς πόλεσιν ἔκ τινος μοίρας θείας ὄντως φιλοσοφήσῃ.* p. 326 A. Haec cogitatio eum impulit ut relicta patria in Italiam migraret.

Secundum hoc igitur testimonium Plato post mortem Socratis non, ut vulgo traditum, statim peregre profectus est, sed remansit Athenis in patria, tota mente in hoc defixus, quomodo sanari civitatis morbus posset; quo magis autem aetate maturesceret, eo firmius hoc tenuit, solum remedium esse in *τῇ ὀρθῇ φιλοσοφίᾳ*: finem malorum nullum fore, nisi iidem essent imperantes iidemque philosophi. Quod quum in patria effici posse desperaret, excessit Athenis et in Italiam profectus est, putans nimirum, ibi fortasse melius moratam civitatem se inventurum, quae e philosophiae praeceptis ordinari posset. Idem consilium philosopho in aula Dionysii proficiscenti obversatum esse, Epistola non uno loco significat, p. 328 A: *ὥστε εἴπερ ποτὲ καὶ νῦν ἔλπις πᾶσα ἀποτελεσθήσεται τοῦ τοὺς αὐτοὺς φιλοσόφους τε καὶ πόλεων ἄρχοντας μεγάλων ξυμβῆναι γενομένους.* et p. 335 D: „Dionysius magnam ditionem possidebat, *ἐν ᾗ γενομένη φιλοσοφία τε καὶ δύναμις ὄντως ἐν ταὐτῷ, διὰ πάν-*

νόμιμα ἔθη non sint *γράμμασι* signata. Scripsitne *νόμων γράμματα καὶ ἤθη*, i. e. *legum literae et indoles?* At haec quoque quaesita est antithesis pro *mores et leges*. Similis periphrasis est in spurio Platonis libro Epinom. p. 976 B: *δόξης ἤθεσι προσέχοντες τὸν νοῦν* pro *δόξαις*.

των ἀνθρώπων, Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, λάμψασ' ἂν ἱκανῶς δόξαν παρέστησε πᾶσι τὴν ἀληθῆ. [1])

Quisquis haec legit, agnoscit verbis illis expressum esse nobilitatum illud Platonis paradoxon, de Rep. V, p. 473 C: ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ, δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία, — οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν, δοκῶ δ' οὐδὲ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει. Ibid. VI, p. 499 B: ἐλέγομεν, ὑπὸ τἀληθοῦς ἠναγκασμένοι, ὅτι οὔτε πόλις οὔτε πολιτεία οὐδέ γ' ἀνὴρ ὁμοίως μήποτε γένηται τέλεος, πρὶν ἂν τοῖς φιλοσόφοις ... ἀναγκή τις ἐκ τυχῆς παραβάλῃ ... πόλεως ἐπιμεληθῆναι, ... ἢ τῶν νῦν ἐν δυναστείαις ἢ βασιλείαις ὄντων υἱέσιν ἢ αὐτοῖς ἔκ τινος θείας ἐπιπνοίας ἀληθινῆς φιλοσοφίας ἀληθινὸς ἔρως ἐμπέσῃ.

Qui hos locos cum Epistolae verbis comparaverit, agnoscet amborum tantam esse non solum sententiae sed etiam verborum similitudinem, ut alterum ex altero effictum esse manifeste appareat. Eiusmodi imitatio, opinor, ipsi auctori imputari nequit. Sed hoc ut omittam, illud e nostro loco sequitur, scriptorem putasse opus Περὶ πολιτείας a Platone ante compositum esse quam peregre profectus esset: id monstrant diserte verba haec: λέγειν τ' ἠναγκάσθην, ἐπαινῶν τὴν ὀρθὴν φιλοσοφίαν κτέ. Nam effatum illud, imperantes esse philosophos debere, arctissime cohaeret cum τῆς ὀρθῆς φιλοσοφίας ratione et munere, in opere illo descriptis. Ne quis autem objiciat verbum λέγειν spectare ad sermones, non ad scriptas disputatio-

1) Eadem sententia enuntiatur Epist. II, p. 310 E: πέφυκε ξυνιέναι εἰς ταὐτὸ φρόνησίς τε καὶ δύναμις μεγάλη.

nes, animadvertendum, personatum Platonem in hac epistola dicere solere, de quo infra accuratius, se nihil literis mandasse, eumque de scriptis suis sic loqui, tanquam de sermonibus ore habitis.

Incidimus hic in difficilem quaestionem et multum disceptatam, de tempore quo Πολιτεία a Platone confecta sit. Alii ante profectionem in Italiam, alii post reditum a primo itinere ad Dionysium maiorem hoc opus scriptum esse censent. Qnarum opinionum posterior si probatur, scriptor noster haud levis erroris convincitur. Sed ista sententia eo maxime nititur argumento, quod opus illud, ut consummatum ingenii, artis, doctrinae monumentum, probabile sit scriptum esse eo aetatis tempore, quo Plato maturitatis fastigium attigisset. Atqui fatendum, nihil obstare quominus Platonem, qui ab adolescentia scribendo se exercuerat, ante quadragesimum aetatis annum jam ad ἀκμὴν pervenisse credamus.

Priori vero sententiae maxime propugnavit Morgensternius (de Platon. Rep. p. 73 sqq.), qui ob similitudinem quae intercedit inter Aristophanis Ecclesiazusas et Platonis Rempublicam, non dubium esse censuit quin comicus hac fabula Platonicam civitatem deridendam sibi proposuisset. Quas enim Praxagora ibi mulieribus fert leges, de communione bonorum et uxorum, de communicanda cum viris et mulieribus liberorum cura, de aliis, has cum Platonicae civitatis legibus ita concinere, ut idem sit argumentum in ridiculum conversum.

Eandem sententiam amplexi sunt Meinekius et Bergkius, qui Platonem ipsum in eadem comoedia vss. 647 et 994 'Αριστύλλου nomine notari volunt, similiter ut in fabula Pluto, vs. 314, quae paucis annis ante in

scenam producta est. Ἀρίστυλλος nimirum ridicule factum ex Ἀριστοκλῆς (ut ex Ἡρακλῆς Ἥρυλλος), quod nomen Platoni fuit. [1]) Jam Ecclesiazusae editae sunt ineunte Ol. 97 vel non multo post, ex quo efficiatur, Platonis Πολιτείαν paulo ante hoc tempus editam esse, quum Plato esset paene quadragenarius, paucis ante annis quam iter in Italiam suscepit. [2])

Quae contra Stallbaumius disputat in Proleg. ad Plat. de Rep. p. LXIX, ad redarguendam Morgensternii sententiam, ea merito non satisfecerunt Meinekio et Sückovio. Leguntur quidem in Platonica civitate quae post reditum eius ex Dionysii aula scripta videntur, ut imago tyranni, mentio de Ismenia, Pythagorica quaedam (Stallbaum, p. LXV), sed nihil credere nos vetat, Platonem opus illud, postquam edidit, retractasse et amplificasse; imo eo nos ducit disertum Dionysii Halicarnassensis testimonium, [3]) qui narrat, Platonem ad summam usque senectutem a limandis et expoliendis operibus non destitisse, et ipsum illud opus de quo loquimur etiam extremo vitae tempore in manibus habuisse. Illud certe notatu dignum, quae in hac epistola de Platonis sententia politica di-

1) Meineke, Fragm. Com. I. p. 388. II. p. 1162. Bergk, Rel. Com. Att. p. 404, nota.

2) Eidem opinioni calculum adjiciunt Tchorzewski, de Plat. Timaeo et Crit. Kazan, 1847, et Sückow, libro laud. p. 41 sqq. Vid. etiam Ueberweg, Echth. u. Zeitf. d. Plat. Schr. 1861, p. 121 sq. Ecclesiazusae editae secundum Sam. Petitum Ol. 96, 4; secundum Palmerium circa Ol. 97, cum quo facit Morgensternius; secundum Tchorzewski Ol. 97, 3.

3) In libello Περὶ συνθέσ. p. 209. Ὁ δὲ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους κτενίζων καὶ βοστρυχίζων καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων οὐ διέλιπεν ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη κτλ.

cuntur, ipsis verbis expressa ex opere de Republica, ea concinere cum temporis indicio ex Ecclesiazusis petito, ut alterum testimonium alteri pondus addere videatur. Et quo minus equidem credam Platonem *Πολιτείαν* evulgasse post editam illam comoediam, non parum apud me valet quod Morgensternius animadvertit (p. 77 not.), vix credibile sibi videri dicens, posteaquam Aristophanes civitatem talibus legibus in scena risisset, Platonem editurum fuisse opus, in quo eadem res tanquam nova serio tractaretur.

In hoc igitur Epistola verum referre videtur; minus vero probabile est, quod ibidem memoratur, Platonem semel, iterum, tertio in Siciliam profectum esse ea spe, fore ut Dionysii ope civitatem Syracusanam in talem qualem in illo opere descripsit *πολιτείαν* transformare posset. Etsi enim credibile est Platonem non desperasse de emendandis civitatibus, eumque itineribus in Siciliam id ipsum spectasse, ut meliorem redderet Syracusarum et Siciliae conditionem, non tamen tam rerum hominumque ignarus fuit, ut perfectam illam quam mente informasset civitatis imaginem reapse effectam reddi posse putaret, aut Dionysium talem regem fore confideret, cuius imperio *δύναμις* et *φιλοσοφία* velut in unum conflatae, ut dicit, optimae civitatis effigiem ob oculos ponerent. [1])

---

1) Etsi Plato in Republica non semel asserit se haud *ἀδύνατα* fingere (e. g. VI, 499 D: *οὐδ' ἡμεῖς ἀδύνατα λέγομεν, χαλεπὰ δὲ καὶ παρ' ἡμῖν ὁμολογεῖται.* Cf. V, 456 C.), potius tamen civitatem illam proposuit tanquam *παράδειγμα*, ad quod accedere aliquantenus liceat. De Rep. V, p. 472 D: *τί οὖν; οὐ καὶ ἡμεῖς, φαμέν, παράδειγμα ἐποιοῦμεν λόγῳ ἀγαθῆς πόλεως; Πάνυ γε. Ἧττόν τι οὖν οἴει ἡμᾶς εὖ λέγειν τούτου ἕνεκα, ἐὰν μὴ ἔχωμεν ἀποδεῖξαι, ὡς δυνατὸν οὕτω πόλιν οἰκῆσαι ὡς ἐλέγετο; Οὐ δῆτα,*

§ 3.

De Platonis itineribus in Siciliam.

Tres in Epistola memorantur Platonis adventus Syracusas, quorum tempora haud obscure indicantur.

Primum Syracusas venisse se dicit XL annos natum h. e. Ol. 97, 4, a. a. C. 389. *Ὅτε γὰρ κατ' ἀρχὰς εἰς Συρακούσας ἐγὼ ἀφικόμην, σχεδὸν ἔτη τετταράκοντα γεγονώς, Δίων εἶχε τὴν ἡλικίαν ἣν τανῦν Ἱππαρῖνος γέγονεν.* Epist. VII. p. 324 A. Dionysius major eo tempore regnum ibi tenebat. Cum hoc tempore pulcre concinit quod proditum est, Platonem, quum liberius tyranno oblocutus esset, ab eo Pollidi Lacedaemoniorum legato traditum esse, a quo fertur (*λέγεται*, ut scribit Plutarchus) in Aeginam abductus esse ibique venditus, sed brevi post ab amico Anniceride redemptus et in patriam reversus esse. Testes Plutarchus Dion. c. 5, Laërtius III, 14, 18, Aristides T. III, p. 382. Exarserat enim eo ipso tempore bellum inter Aeginetas et Athenienses, quod duravit ab Ol. 97, 4 ad Ol. 98, 2, cuius belli occasione id, si tamen vere traditum est, Platoni evenisse potuit. [1])

Alterum Platonis iter susceptum dicitur brevi postquam Dionysio maiori in regnum successit filius, a quo Dionis hortatu Syracusas se arcessitum esse scri-

---

ἔφη. Ibid. IX, 592 B: *ἐπὶ γῆς γ' οὐδαμοῦ οἶμαι αὐτὴν εἶναι. Ἀλλ', ἦν δ' ἐγώ, ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλομένῳ ὁρᾶν καὶ ὁρῶντι ἑαυτὸν κατοικίζειν.* Cf. Hermann, ll. p. 67 sq. et not. p. 118.

1) Vid. Corsinus, Symb. Litt. p. 103 sqq. Dodwelli Annales Xenoph. p. 216.

bit, Epist. VII, p. 327 B—D. [1]) Mors autem Dionysii maioris cadit in Ol. 103, 2; a. a. C. 367. Idem scribit Nepos, Dion. c. 3, „Quum Dio non desisteret obsecrare Dionysium ut Platonem Athenis arcesseret, — ille morem ei gessit" Cf. Plutarchus, Dion. c. 12. Ergo non statim quidem, proximo tamen post mortem Dionysii maioris anno, h. e. 366 a. C., Platonem iterum Syracusas venisse probabile est. Quarto autem mense post illius adventum Epistola VII (p. 329 C) scribit Dionem civitate pulsum esse, Platonem vero a tyranno partim blanditiis partim necessitate retentum aliquandiu Syracusis remansisse. Quando autem reversus sit in patriam, id parum liquet. Corsinus (ll. p. 112) ex Epistolae II initio efficit, eum exeunte hac Olympiade (103) e Sicilia reducem ad proximum Olympiorum conventum, a. 365 habitum, se contulisse; putat enim hanc epistolam post reditum a secundo itinere scriptam esse. At supra vidimus (p. 19), Epistolam II potius scriptam fingi post ultimum iter, ut Olympiorum conventus qui hic memoratur idem sit cuius mentio fit in Epist. VII, p. 350 B, qui conventus incidit in a. 360 a. C. Quare ex illa epistola ad secundi itineris tempus definiendum nihil proficitur. [2])

Tertii itineris tempus a Platone non clare indicatur. Dicit se, bello in Sicilia orto, a Dionysio dimissum esse ea condicione, ut, pace restituta, una cum Dione reverteretur; quibus deinceps haec addit, p. 338 B: *γενομένης δ' εἰρή-*

---

1) *Δίωνος ἐν ἡλικίᾳ ὄντος μέσῃ καὶ καθεστηκυίᾳ.* Epist. III, 316 C.

2) Etiam Groteus eundem Olympiorum conventum in utraque epistola significari censet. Vol. XI, p. 82, n. 4.

νης μετεπέμπετ' ἐμὲ, Δίωνα δ' ἐπισχεῖν ἔτι ἐνιαυτὸν ἐδεῖτο, ἐμὲ δ' ἥκειν ἐκ παντὸς τρόπου ἠξίου. Cf. Ep. III, p. 317 A B: τὸ δὲ δεύτερον, εἰρήνης γενομένης, ἐκάλεις με οὐ κατὰ τὰς ὁμολογίας, ἀλλὰ μόνον ἥκειν ἐπέστελλες, Δίωνα δ' εἰσαῦθις ἔφησθα μεταπέμψασθαι· διὰ ταῦτ' οὐκ ἦλθον, ἀλλὰ καὶ Δίωνι τότ' ἀπηχθόμην, ᾤετο γὰρ εἶναι βέλτιον ἐλθεῖν ἐμὲ καὶ ὑπακοῦσαί σοι. τὸ δὲ μετὰ ταῦθ' ὕστερον ἐνιαυτῷ τριήρης ἀφίκετο καὶ ἐπιστολαὶ παρὰ σοῦ κτέ. Plato igitur, diu tergiversatus, tandem anno elapso (ὕστερον ἐνιαυτῷ), orantibus et hortantibus amicis, triremem a Dionysio Athenas missam conscendit et tertio Syracusas navigavit. Ibi quum tyrannum reconciliare Dioni frustra studuisset, aliquamdiu a Dionysio retentus et elusus, tandem Archytae intercessione dimissus est. Inde redux in Graeciam ludis Olympiis convenit Dionem, bellum adversus Dionysium molientem. [1]) Sunt hi ludi ineuntis Ol. 105, siquidem ante initium proximae Olympiadis Dio bellum tulit in Siciliam. Cum quo tempore concinit quod Plutarchus, Dion. c. 19, narrat, quum Plato Syracusas venisset, Heliconem, unum ex eius familiaribus, defectionem solis praedixisse, quae mox consecuta est. Defectio ista cadit in Ol. 104, 4, a. a. C. 361, quum Plato esset jam paene septuagenarius. [2]) Sic quidem itinerum tempora in epistola indicata cum ceteris indiciis conveniunt.

Tria illa Platonis itinera ordine commemorantur a Diogene Laërtio, lib. III, § 18—23: Τρὶς δὲ πέπλευκεν εἰς

1) De conventu hoc ut memorabili facto disertis verbis mentionem fecit Neanthes Cyzicenus, apud Laërtium, III, 25.

2) Barth. Voy. du jeune Anach. chap. 33 note, qui redarguit errorem Corsini.

Σικελίαν· πρῶτον μὲν κατὰ θέαν τῆς νήσου καὶ τῶν κρατήρων, ὅτε καὶ Διονύσιος ὁ Ἑρμοκράτους τύραννος ὢν ἠνάγκασεν ὥστε συμμῖξαι αὐτῷ.... δεύτερον πρὸς τὸν νεώτερον ἧκε Διονύσιον αἰτῶν γῆν καὶ ἀνθρώπους τοὺς κατὰ τὴν πολιτείαν αὐτοῦ ζησομένους. ὁ δὲ καίπερ ὑποσχόμενος οὐκ ἐποίησεν.... τρίτον ἦλθε διαλλάξων Δίωνα Διονυσίῳ, οὐ τυχὼν δ' ἄπρακτος ἐπανῆλθεν εἰς τὴν πατρίδα. Et strictius ab Apuleio, de dogm. Plat. I, c. 4: „Ceterum tres (Platonis) ad Siciliam adventus mali quidem carpunt diversis opinionibus disserentes; sed ille primo historiae gratia, ut naturam Aetnae et incendium concavi montis intelligeret, secundo petitu Dionysii ut Syracusanis assisteret profectus et ut municipales leges eius provinciae addisceret; tertius eius adventus fugientem Dionem, impetrata a Dionysio venia, patriae suae reddidit."

Jam ad epistolae narrationem accedimus, in qua dijudicanda non negligendum est consilium quod scriptor sibi proposuit: a consilio enim operis rei tractatio pendet.

Scripta est epistola, ut ipsa profitetur, p. 324 B, eo consilio, ut qua ratione Dio talis aliquando vir factus esset, qualem postea vita et doctrina se praestitit, appareret; ostendit autem id eum acceptum debuisse Platonis consuetudini et institutioni. p. 327 A. Quod ut probet, initium facit a quo tempore Dio primum in Platonis notitiam venit, h. e. a primo huius adventu in Siciliam; hinc pergit exponendis reliquorum itinerum casibus et eventis, quomodo nimirum, post alterum adventum Syracusas, Dionem inter et Dionysium ortum sit discidium, quod Plato cum eo ipso tempore tum postea, tertio itinere suscepto, frustra componere conatus sit.

Quo factum ut amborum simultas postremo in bellum eruperit, quo Dio tyranni opes evertit.

Cum primario hoc consilio alterum junctum est, quod et in media epistola (p. 330 C) et in extrema aperte scriptor indicat, illud nempe, ut redarguat invidiosos rumores qui de Platone essent sparsi, quasi ille, quum semel a Dionysio maiore Syracusis pulsus esset, nihilominus, captus aulicae vitae deliciis, sine justa causa iterum et tertio illuc esset profectus eoque suam ac philosophiae dignitatem temere novis contumeliis objecisset. Argumentum hoc specie secundarium, revera tamen praecipuum est (de quo infra accuratius) eoque longe maxima epistolae pars expletur. Quum hoc sit scriptionis propositum, non mirandum quaedam aut omissa a scriptore aut leviter tacta esse quae eo parum conducerent. Jam de his itineribus singulatim agamus.

Plato, secundum epistolam, quum pertaesus esset corruptam aetatis suae disciplinam et depravatos mores ac persuasum sibi haberet sanari civitates non posse, nisi iidem forent imperantes et philosophi, hac mente, dicit, (ταύτην τὴν διάνοιαν ἔχων) Athenis in Italiam et Siciliam sum profectus. Quaeras, cur in Italiam? quo consilio, qua spe? Num quia melius moratas civitates ibi se visurum putaret? Attamen vetus Sybaritarum et Crotoniatarum luxuries fama erat nota. Si tamen hac opinione, ut ex epistolae verbis colligas, eo migravit, cito spe dejectus est. Invenit ibi omnia, ut dicit, corrupta et perdita luxu, ignavia, libidinibus, quae ubi regnant, δικαίου καὶ ἰσονόμου πολιτείας ne umbra quidem esse potest (p. 326 B—D). Mirum vero quod oblitus videtur

Tarentum adire, ubi tum auctoritate florebat Archytas, philosophus idemque imperator clarus, in qua civitate reperisset forsitan id quod quaerebat. Sed cum hac suscepti itineris ratione non concinit quod vulgo relatum est, Platonem discendi causa in Italiam venisse et Tarentum adiisse, ut Pythagoreorum instituta cognosceret: quod sane multo et probabilius et dignius philosopho quam patriae taedio in Italiam eum migrasse. [1]) Epistolae scriptor id aut ignorasse videtur aut, ut proposito suo minus accommodatum, dissimulasse.

Frustrata spe, ex Italia divertit Syracusas, *ἴσως μὲν κατὰ τύχην*, sed, ut postea apparuit, divini numinis (*τῶν κρειττόνων τινὸς*) providentia, ut ipse dicit (p. 326 D), sive ut Plutarchus (Dion c. 4) interpretatur, *θείᾳ τινὶ τύχῃ*. Ergo ut modo in Italiam, ita nunc in Siciliam abiit temere, nullo consilio; sed in melius vertit deus. Parum hoc credibile visum est viris doctis, qui causas attulerunt alius aliam, cur Plato in Siciliam trajecisset. Fuerunt qui eum Aetnae visendae gratia insulam adiisse dicerent (Apuleius ll. c. 4. Laërtius § 18); alii, ut agrum et incolas a tyranno posceret, condendae nimirum Platonicae civitati (Plut. Phil. c. princ. c. 4; [2]) Themistius Orat. XVII, p. 215 B), quod idem Laërtius secundi itineris causam fuisse dicit; iniquiores eum aulae Syracusanae deliciis allectum dixerunt, ut narrant Apuleius, Themistius et Olympiodorus (vit. Platon.), quam quidem opinionem a comicis poëtis et philosophi obtrectatoribus sparsam

1) Menagius ad Diog. Laërt, III. 6. Hermann, System. d. Plat. phil. p. 60, n. 131.

2) Plutarchi verba sunt haec: *ᾗ καὶ Πλάτων εἰς Σικελίαν ἔπλευσεν, ἐλπίζων τὰ δόγματα νόμους καὶ ἔργα ποιήσειν ἐν τοῖς Διονυσίου πράγμασιν.*

Epistolae scriptor tangere videtur, quum *Ἰταλικῶν καὶ Συρακοσίων τραπεζῶν* opulentiam et morum lasciviam tam severe vituperat. Mihi maxime probabile videtur quod Nepos cap. 2, Timaeum, credo, vel Ephorum secutus, tradit: quum in Siciliam perlata esset fama Platonem Tarentum venisse, Dionysium Dioni adolescenti, qui illius audiendi cupiditate flagraret, negare non potuisse quin eum arcesseret; itaque (dicit) „magna eum ambitione Syracusas perduxit." Quod sane multo magis est rei consentaneum. Notum est enim, Dionysium maiorem multum operae dedisse literis nec quidquam magis ei curae fuisse quam ut aula Syracusana a poëtis et doctis celebraretur. [1]) Quid igitur mirum si Platonem quoque magno studio ad se vocavit? Nulla vero est causa cur opinemur, Nepotem errore in Dionysium maiorem transtulisse quod postea filius eius fecisse traditur, quum Platonem triremi Athenis arcesseret. Illud certe nequaquam credibile, Platonem, ut in epistola legitur, *κατὰ τύχην* et temere Syracusas delatum esse. Ceterum de Dionysio, quomodo Platonem exceperit, quam probrose eum dimiserit, in epistola ne verbum quidem. Etiam in sqq. p. 331 D, ubi memorat consilia Syracusanis a se data de emendanda republica, loquitur de Dionysio minore et de Dione, de patre nihil; ut manifestum sit, eum data opera id egisse, ut

---

1) Fuerunt in eius aula praeter Philistum et Platonem plures poëtae, e quibus Philoxeni et Antiphontis tragici nomina fama ad nos pervenerunt. Tyrannum ipsum Musarum cultoris nomen affectasse testatur Diod. XV, 7: *διὸ καὶ ποιήματα γράφειν ὑπεστήσατο μετὰ πολλῆς σπουδῆς καὶ τοὺς ἐν τούτοις δόξαν ἔχοντας μετεπέμπετο, καὶ προτιμῶν αὐτοὺς συνδιέτριβε καὶ τῶν ποιημάτων ἐπιστάτας καὶ διορθωτὰς εἶχεν.* Vid. Grote, Vol. XI, p. 36.

Platonis commorationem in huius aula tanquam parum honorificam silentio praeteriret. Nisi contrarium hac de re exstaret testimonium (Plut. Dion. 5.), crederes tyrannum Platoni ne in conspectum quidem venisse. Unum commemorat Dionem, cuius ingenium docile, animi honestatem, frugilitatem et continentiam eximie laudat, ob quas virtutes, ait, *ἐπαχθέστερον τοῖς περὶ τὰ τυραννικὰ νόμιμα ζῶσιν ἐβίω μέχρι τοῦ θανάτου τοῦ περὶ Διονύσιον γενομένου* (p. 327 B). Haec legens quis non putaret Dionem ob morum severitatem tyranno et aulicis invisum in regia delituisse? [1]) At hac quoque in parte scriptor studio ductus a vero deflexit. Discimus enim e Plutarcho ll. et e Nepote (Dion. c. 1), Dionem ob ingenii et morum praestantiam apud Dionysium semper in honore fuisse: aderat ei magnis in rebus; legationes omnes illustriores suscipiebat; et quum alii caute et anxie in tyranni praesentia sententiam suam proferrent, unus ille impune summa utebatur dicendi libertate. Atque haec quae a Plutarcho et Nepote traduntur [2]) cum reliqua Dionis vita et victu ita consentiunt, ut de dictorum fide dubitari nequeat.

Prima excursione in urbem Syracusarum carptim memorata, ad alteram festinat scriptor, viginti circiter annis post factam, per quod temporis intervallum Plato Athenis scholam aperuit et ibi totum se philosophiae dedit.

---

1) Ita putat Grote, Vol. XI, p. 60.

2) Nepos haec narrat quasi facta ante Platonis adventum; quum vero tum viginti tantum annos natus esset, potius sumendum est cum Plutarcho, eum post Platonis profectionem illa officia tyranno praestitisse ut recte animadvertit Nipperdey ad Nepot. Dion. p. 72.

Mortuo Dionysio quum in regnum successisset filius, hic, suadente Dione, qui sperabat *εἰς ἐπιθυμίαν ἐλθεῖν αὐτὸν τοῦ καλλίστου καὶ ἀρίστου βίου* (p. 327 D), Platonem invitavit ut iterum in Siciliam trajiceret. Post longas deliberationes Plato obtemperandum amicis ratus, *καταλιπὼν*, dicit, *τὰς ἐμαυτοῦ διατριβὰς οὔσας οὐκ ἀσχήμονας* (h. e. disputationes in Academia), Syracusas profectus sum, cum Dionis gratia tum philosophiae. Ut vero adveni, reperi illic omnia *στάσεως καὶ διαβολῶν μεστά*, calumniatoribus Dionem criminantibus quod regnum affectaret [1]), quo factum ut quarto fere mense post adventum Platonis Dio a tyranno expulsus sit: *μηνὶ δὲ σχεδὸν ἴσως τετάρτῳ Δίωνα Διονύσιος αἰτιώμενος ἐπιβουλεύειν τῇ τυραννίδι σμικρὸν εἰς πλοῖον ἐμβιβάσας ἐξέβαλεν ἀτίμως.* (p. 329 C). Exacto Dione, Plato a Dionysio retentus est Syracusis. Ibi hábitare eum jussit in acropoli et in dies magis magisque eum coluit et blanditiis prosecutus est, ut eius gratiam sibi conciliaret; sed, quod maxime optabat Plato, ut philosophiae praeceptis Dionysius erudiretur et disceret quibus modis Siciliae civitates desertas restituere et a barbarorum jugo liberare posset (p. 332 E), id facere noluit: *ἐγὼ δὲ πάντα ὑπέμενον, ... ὁ δ' ἐνίκησεν ἀντιτείνων* (p. 330 B). Ne plura, postremo, occasione belli in Sicilia exorti, Plato a Dionysio abeundi veniam impetravit, ea conditione ut, pace composita, cum Dione rediret Syracusas. Discedens profectus est Tarentum, ubi hospitium

---

1) Inter Dionis eosdemque Platonis adversarios praecipue nominandus Philistus, cuius mentio fit in Ep. III, p. 315 E: *ᾄδην γὰρ ὑπὸ Φιλιστίδου καὶ ἄλλων πολλῶν ... διεβλήθην*, pro quo legendum *Φιλίστου*.

junxit cum Archyta aliisque Pythagoreis, inde domum rediit. Haec est summa eorum quae de secundo itinere in aulam Dionysii in epistola memorantur.

Quae ibi breviter tanguntur, plenius exposita legimus apud historicos, e quibus discimus, simultatem inter Dionem et alterum Dionysium non tantum calumniatorum διαβολαῖς excitatam esse, sed jam ante mortem Dionysii maioris inter ambos contentionem esse ortam, quum Dio regni successionem minori Dionysio surripere et Aristomaches sororis suae filiis conciliare conaretur; [1]) quae simultas primum sopita, mox, instigante maxime Philisto, qui nuper ab exsilio Syracusas revocatus erat, in apertum odium erupit. Praecipua irae causa fuit, quod Dionysio traditae erant literae a Dione ad Carthaginiensium praefectos missae, quibus eos hortabatur ne sine sua intercessione cum tyranno foedus facerent. [2]) Hanc ob rem ab illo relegatus est. Apparet igitur Dionysium non ita immerito a Dione sibi metuisse, quum epistola rem ita proponat, quasi discidium illud tyranni tantum culpae tribuendum sit.

Quod Plato dicit: Δίωνα Διονύσιος... σμικρὸν εἰς πλοῖον ἐμβιβάσας ἐξέβαλεν ἀτίμως, id concinit cum narratione Timaei, quem hac in re secutus est Plutarchus, c. 14: εὐθὺς, ὡς εἶχε, θέμενος (Δίωνα) εἰς ἀκάτιον, προσέταξε

1) Dionysius maior duas habuit uxores, alteram Locridem, e qua tres liberi ei fuerunt, in his Dionysius, alteram Aristomachen, Dionis sororem, quae duos filios totidemque filias ei peperit (Plut. c. 6. Nepos, c. 2).

2) Plutarch. c. 14. Dioni cum Poenorum ducibus fuisse necessitudinem apparet ex eo quod, quum postea in Siciliam bellum inferret, ad Minoam appulsus, adjutus est a Poenorum duce Paralo, ut Diodorus eum nominat, ut Plutarchus c. 25, Synalo, quocum ei hospitium erat.

τοῖς ναύταις κομίζοντας αὐτὸν ἐκθεῖναι πρὸς τὴν Ἰταλίαν. Ab hoc vero aliquantum discrepat Nepos c. 4, quem Ephorum auctorem habuisse credo, dicens „navem ei „*triremem* dedit, qua Corinthum deveheretur," et deinde, „omnia quae moveri poterant Dionis in naves imposuit ad eumque misit." Cui narrationi haud scio an potius habenda sit fides, quum constet Timaeum Dionysiis infestissimum fuisse et lubenter quamlibet occasionem arripuisse ut illorum famae noceret. Praeterea Dionysius misit Dioni quotannis reditus fundorum et agrorum, ut Plutarchus scribit, c. 16 extr., quod affirmat Epistola, p. 345 C, et exsilio nomen praetexuit μεταστάσεως, p. 338 A. Traditum est quoque a Plutarcho (c. 13), primo Platonis adventu Dionysium incredibili flagrasse discendi studio eoque maximam in aula factam esse rerum commutationem, quum, remotis deliciis et voluptatibus, omnia docto pulvere oppleta essent. [1]) Epistola hac de re plane silet; Dionysium ut ab omni doctrina alienum describit. Nihilominus Plato a Dionysio sic discessit, ut benevolentiae vinculum non prorsus tolleretur: πρὶν ἀπιέναι, inquit, ξενίαν καὶ φιλίαν Ἀρχύτῃ καὶ Διονυσίῳ ποιήσας ἀπέπλεον. p. 338 C.

E postremis his dictis efficere licet, secundum Epistolam Platonem non, ut a plerisque traditur, quum primum in Italiam venisset, sed quum e Sicilia discederet, Tarentum ad Archytam venisse et hospitium cum hoc ceterisque Pythagoreis junxisse. Quod si verum est, ἀποδημίαν illam satis longam fuisse in aperto est. Cete-

---

1) Alluditur ad hoc in Ep. III, p. 319 C: οὐκοῦν παιδευθέντα, ἔφησθα, γεωμετρεῖν.

rum Plutarchus quoque l. l. eum Syracusis profectum ad Italiam appulsum esse ibique escendisse testatur.

Postquam Athenas reversus est, eodem venit Dio, qui ibi multum cum Platone, Speusippo aliisque Platonis familiaribus versatus esse traditur. De hac Dionis commoratione Athenis in epistola nulla fit mentio, quod sane mirandum, quum praesertim scriptor id maxime propositum sibi esse dicat, ut ostendat, Platonis consuetudini et institutioni Dionem acceptas debuisse virtutes illas, quibus nobilitatus est. Properat vero scriptor ad tertium iter Syracusanum, quod tribus vel quatuor annis post Plato suscepit.

Sicut inter ambos convenerat, pace facta, Dionysius Platonem ad se vocat (p. 338 B sqq.), Dionem autem jubet annum adhuc remanere in Graecia. Plato haesitat; erat jam prope septuagenarius et putabat Dionysium ambitione ductum se arcessere. Ferebantur enim venisse ad Dionysium Archytas et Tarentini, ut Platonis doctrinam ex eo sciscitarentur; quibus cum satisfacere ille non posset idque erubesceret, ideo videbatur Platonem iterum vocasse, cupidus τοῦ διακοῦσαι ἐναργέστερον (p. 338 D). Hanc ob causam semel iterumque vocatus recusavit; tertio tandem, Archedemo Platonis familiari cum Dionysii epistola honorificentissima Athenas misso, hortante Dione, instigantibus praeterea per literas Archyta et Tarentinis, τὴν φιλοσοφίαν ἐγκωμιάζουσι τὴν Διονυσίου, cessit et tertio Syracusas profectus est bona spe nec mirandum putans, νέον ἄνδρα παρακούοντα ἀξίων λόγου πραγμάτων, εὐμαθῆ, πρὸς ἔρωτα ἐλθεῖν τοῦ βελτίστου βίου (p. 339 E).

Animadvertendum in transitu, quam accurate hic, sicut antea in narratione secundi itineris, omnes rationes explicet, quae iter suscipere suaderent, nimirum ut omni hac in re temeritatis culpa Plato liberetur.

Dionysius erat adolescens, ut dicit; itaque simulac venit, statuit animum eius explorare. Sed cito fefellit eum spes: Dionysius *τὰ μέγιστα εἰδέναι τε καὶ ἱκανῶς ἔχειν προσεποιεῖτο*. Mox etiam rescivit, eum librum scripsisse continentem ea quae quondam ex Platone audisset, corrupta tamen et deformata, *συνθέντα ὡς αὐτοῦ τέχνην, οὐδὲν τῶν αὐτῶν ὧν ἀκούοι* (p. 341 B). Quod ille multis verbis reprehendit. Paulo post inter ambos altercatio oritur de Dione. Dionysius vetuit huius procuratores in posterum reditus agrorum ad Dionem mittere (p. 345 C). Platonem ideo abire cupientem tyrannus oravit ut ad proximum annum maneret; ille, etsi invitus, tamen ei obtemperavit, sperans aequas conditiones Dioni se impetraturum. Hinc longae altercationes de Dionis possessionibus. Primum Dionysius pollicetur se Dionis pecuniam deponere velle Athenis et in Peloponneso, ea condicione, ut Plato eiusque amici sponsores essent, ne quid Dio contra ipsum moliretur (p. 346 B sqq.). Hic rem differt. Postea Dionysius aequum esse dixit, ut bona inter patrem et filium dividerentur; quare praedia Dionis se venditurum et dimidiam pecuniae partem illi redditurum. Plato oblatam conditionem accipere noluit: qua in re num prudentis procuratoris officio functus sit, dubitare licet. Eventus fuit, ut Dionysius bona vendiderit atque, novis inde jurgiis ortis, Dioni nulla pecuniae pars sit reddita (p. 350 B). Eadem brevius relata Epist. III, p. 318.

Dum Plato Syracusis moratur, erumpit militum seditio.

Auctor facti esse putabatur Heraclides, Dionis amicus, quem ideo comprehendi Dionysius jussit; ille aufugit in Poenorum ditionem, unde Corinthum pervenit, ut ab historicis traditum est. [1]) Hinc expostulatio inter Platonem eiusque amicos, Theodotem et Eurybium, atque Dionysium, e qua gravis oritur discordia: Plato domo regia exclusus in vitae discrimen venit, sed interventu Archytae et Tarentinorum a Dionysio viatico donatus et dimissus est (p. 348—350 B). [2])

Cum hac relatione conveniunt quae de eadem re refert Plutarchus, cuius narratio maxima pro parte ex hac epistola concinnata est, adspersis historiolis quibusdam de Aristippo, Philisto, Helicone (c. 18—20), quas forsitan a Theopompo depromsit. In hoc autem Plutarchus ab epistola recedit, quod dicit jam ante Platonis adventum Dionysium non misisse Dioni praediorum reditus; in quo eum deceptum esse arbitror. Nam usque ad Platonis adventum tyrannus semper benevolum se erga Dionem simulavit.

De libro quem Dionysius de philosophia scripserit alibi mentio non fit; tamen ingeniosum eum et literatum fuisse ipsa haec epistola fatetur (pp. 338 et 339, E), unde non mirum si hac quoque in re patris exemplum secutus est, quem tragoedias composuisse accepimus. (Vid. supra p. 133 not.). Magis miratu dignum, quod Archytas et

---

1) Nepos, Dion. 5. Plut. Dion. 32. cf. Diodor. XVI, 6.

2) Teste Laërtio, III, 21, *ἔνιοί φασιν καὶ κινδυνεῦσαι αὐτὸν* (Platonem) *ὡς ἀναπείθοντα Δίωνα καὶ Θεοδόταν ἐπὶ τῇ τῆς νήσου ἐλευθερίᾳ· ὅτε καὶ Ἀρχύτας αὐτὸν ὁ Πυθαγορικὸς, γράψας ἐπιστολὴν πρὸς Διονύσιον, παρῃτήσατο καὶ διέσωσεν εἰς Ἀθήνας.* Haec autem non, ut ille narrat, in *altera*, sed in *tertia* profectione obtinuisse vidimus.

alii quidam docti ad Dionysium venisse dicuntur, ut Platonis philosophiam ex eo cognoscerent, quum Plato ipse jam antea Tarentum profectus cum Archyta hospitium iniisset (p. 338 C). Videtur hoc esse commentum ad Platonicae sapientiae admirationem augendam inventum.

Quod ad Heraclidem attinet, ex historicis, C. Nepote, Diodoro, Plutarcho (loc. laud. p. 140 not.), novimus eum Dionysii equitum praefectum fuisse et ab hoc patria pulsum Corinthum perfugisse. Quo tempore et quam ob causam aufugerit, ex epistola discimus. Neque crimen quod ei imputatur improbabile est. Fuit enim Heraclides homo strenuus, sed inquietus et ambitiosus, non magis socius Dionis quam aemulus; qui postquam Dio bellum adversus Dionysium parare coepit, ab eo defecit et paulo post suo Marte, ἰδιόστολος, ut dicit Plutarchus c. 32, navi Syracusas profectus est. Ibi una cum Theodote Dioni obtrectavit et de principatu cum eo certavit, quamobrem postremo hujus jussu interfectus est (c. 53).

De extremo tempore a Platone Syracusis acto in Epistola VII legimus, post jurgium de Heraclide Platonem ex arce emissum esse et ab hoc inde tempore ei nullum nisi per nuncios cum Dionysio fuisse commercium. At in Epistola III legitur narratiuncula de altero jurgio post illud tempus inter ambos orto, praesentibus Archedemo et Aristocrito, ἐν τῷ κήπῳ, h. e. in horto regiae, ubi antea habitare consuerat, et quidem viginti fere diebus, ut dicit, ante Platonis discessum (p. 319 A). Quodsi reputamus quae intra tempus a Platonis relegatione ex acropoli usque ad discessum e Sicilia acta esse narrantur in Epist. VII, p. 350 A B, fatendum, opinor, ea viginti

dierum spatio transigi non potuisse: idcirco ambae narrationes inter se parum concinere videntur, quod sane non est indicium veritatis et fidei. De ipso Platonis discessu aliquantum discrepat Plutarchus, c. 20, qui narrat Dionysium operam dedisse ut offensum Platonis animum honoribus et epulis mitigaret, qua occasione etiam dicterium Platonis super convivio memorat. Quum Dionysius dixisset: „Nae tu, Plato, multis et gravibus criminationibus nos apud sodales tuos lacerabis;" ille subridens: „Absit, respondit, opto ne tanta nobis sit sermonum penuria, ut tui oporteat meminisse." Addit Plutarchus, hoc cum epistola nostra non plane concinere: *οὐ μέντοι τὰ Πλάτωνος αὐτοῦ πάνυ τούτοις ξυνᾴδει.* Idem dictum memorat Laërtius, III, 21, sed ad Dionysii maioris tempora refert, quod tamen minus est probabile. Est autem ea res parvi momenti et sublestae fidei.

Reliqua quae post Platonis reditum e Sicilia acta sunt breviter tanguntur. Redux venit Olympiam ibique offendit Dionem, qui, auditis quae Dionysius in se statuisset, ulcisci decrevit bellumque paravit, quod aliquanto post ei intulit. Plato belli societatem abnuit, excusans senectutem et hospitii jus quod ipsi cum Dionysio intercederet, seque reconciliationis non belli adjutorem pollicitus est (p. 350 B—D). Ita Epistola; alii aliter. Cicero, de Orat. III, 34: „Quis Dionem Syracusium omnibus doctrinis expolivit? non Plato? Atque eum idem ille non linguae solum, verum etiam animi ac virtutis magister ad liberandum patriam impulit, instruxit, armavit." Aelianus, Var. hist. III, 17: *Πλάτων δὲ ὁ Ἀρίστωνος Δίωνα κατήγαγεν εἰς Σικελίαν, καὶ δι' ὧν ξυνεβού-*

λευε καὶ ἐδίδασκε, διὰ τούτων τὴν τυραννίδα τὴν Διονυσίου κατέλυσεν. Hic quum dicit *κατήγαγεν εἰς Σικελίαν, reduxit*, id intelligendum non de praesenti quidem auxilio, attamen de consilio. Harum narrationum utra cum Platonis animo et mente magis quadret, ambigi potest.

Postremo commemoratur Dionis caedes, de qua est aliqua inter scriptores discrepantia, quae tamen facile explicari potest. Secundum Epistolam caedis auctores fuerunt *ἀδέλφω δύο*, Dionis sodales et hospites, qui fuerunt *οἷον τοῦ φόνου αὐτοχεῖρες* (p. 333 C, 334 A). Nomina non memorat. Plutarchus, qui in omni hac narratione Timonidem, Dionis familiarem et expeditionis socium, sequitur, unum nominat facinoris auctorem Callippum Atheniensem (c. 54). Cum hoc omnes scriptores consentiunt, excepto Nepote, qui eum Callicratem nominat et adjutorem ei adjungit fratrem Philostratum, qui in Syracusarum portu cum triremi facinoris eventum praestolaretur (c. 8 et 9 § 1; cf. Nipperdey ad h. l). Inde colligere licet, Nepotem in nomine peccasse, errore nato fortasse e scripturae compendio, quo in nominum propriorum terminatione saepe peccari solitum. [1])

Ita perlustrata epistola, apparet nihil fere in ea legi quod non plenius et accuratius ab aliis historicis proditum fuerit; ceterum, quae ad itinera eorumque tempora pertinent, pleraque recte scriptorem retulisse, in rebus autem Dionysium et Dionem spectantibus minus esse diligentem; nonnulla quae ad rem pertinebant omisisse, alia augendo minuendove immutasse. Id autem fecisse videtur

1) Simile peccatum notavi supra p. 13, in Ἀριστόδωρος et Ἀριστόδημος. p. 136, not. 1, in Φιλιστίδης et Φίλιστος.

non tam ignorantia vel incuria quam odio et gratia ductus. Tota enim epistola aperte scripta est ad vituperandum Dionysium, laudandum Dionem, maxime vero, ad extollendum Platonem.

Quod ad Dionysium attinet, etsi facile credimus eum maluisse doctum videri quam esse, tamen neque *ἀφυὴς* fuit, ut ipsa epistola fatetur, nec tam *ἀπαίδευτος* quam Plato eum fuisse scribit; cuius rei argumento esse potest consuetudo quae ei cum Helicone, Aristippo, Archyta aliisque Pythagoreis fuit; atque si ipse, ut epistola memorat, librum de philosophia scripsit, id saue probat eum non ita leviter rem attigisse. Neque vero credibile, si Dionysius tam alienus fuisset a philosophia, Platonem aut iterum Syracusas profectum aut tam diu in eius aula commoratum fuisse; quod tempus non omne nugis et jurgiis transactum, sed partim certe mathematicis et politicis rebus impertitum fuisse ipsa epistola indicat et diserte affirmant historici. Vid. Ep. VII, 332 E. III, p. 319 B C, et 316 A. Plutarch. Dion. c. 13.

Quod autem ad lites Dionysium inter et Dionem attinet, epistola omnem culpam in tyrannum confert, quod esset invidiosus, suspicax, calumniatorum susurris faciles aures praebens. Apparet tamen ambos, jam antequam mortuus est Dionysius pater, de principatu inter se contendisse, et quamvis Dio praeclara fuerit indole et magnis ingenii animique virtutibus praeditus, idem tamen erat honoris cupidus et ad imperandum quam ad parendum proclivior. Superbia eius et *αὐθαδεία* tangitur in Epistola IV sub finem: *ἐνθυμοῦ δὲ καὶ ὅτι δοκεῖς τισὶν ἐνδεεστέρως τοῦ προσήκοντος θεραπευτικὸς εἶναι· μὴ οὖν λανθανέτω σε, ὅτι διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ*

τὸ πράττειν ἐστὶν, ἡ δ' αὐθαδεία ἐρημίᾳ ξύνοικος. Simile de eo judicium fert Plutarchus, Dion. c. 8: *ἀμέλει δὲ καὶ φύσει τινὰ τὸ ἦθος ὄγκον εἶχεν αὐτοῦ καὶ τραχύτητα δυσπρόσοδον ἐντεύξει καὶ δυσξύμβολον.* [1]) Quam autem exsul excitaverat spem restituendae libertatis, eam imperio potitus non explevit, sed sibi familiaeque suae principatum stabilire conatus est. Idem Heraclidem consiliis suis adversantem dolo sustulit. Itaque quamvis nefarium merito habeatur Callippi facinus, Dio tamen suum ipse exemplum passus est.

In iis autem quae Plato de se ipse loquens inducitur, haud pauca sunt in quibus nimium se suae sapientiae et suarum laudum praeconem praebet, velut in iis quae Dionem de sua institutione dicentem facit, p. 327 C D, 328 D E; aut quae de sua ipse facultate scribit p. 341 D: *καίτοι τοσόνδε γ' οἶδα ὅτι γραφέντα ἢ λεχθέντα ὑπ' ἐμοῦ βέλτιστ' ἂν λεχθείη*; aut quum Dionysii scripta quaedam reprehendens dicit, p. 344 D: *εἴτ' οὖν Διονύσιος ἔγραψέ τι τῶν περὶ φύσεως ἄκρων καὶ πρώτων εἴτε τις ἐλάττων εἴτε μείζων, ὡς οὐδὲν ἀκηκοὼς οὐδὲ μεμαθηκὼς ἦν ὑγιὲς ὧν ἔγραψε, κατὰ τὸν ἐμὸν λόγον*; aut quum illum vituperat quod non debito se honore prosecutus esset, p. 345 C: *πῶς ἂν μὴ θαυμαστὸς ὢν ἄνθρωπος τὸν ἡγεμόνα τούτων καὶ κύριον οὕτως εὐχερῶς ἠτίμασέ ποτ' ἄν*; Credat quis, quod nonnulli ei imputarunt, superbum fuisse Platonem; at optime certe novit quid deceret, et putidam istiusmodi arrogantiam stilus eius prorsus respuit. Sunt etiam quae-

---

1) Cf. ibid. c. 52. Aristoteles, Polit. V, 10 de eo dicit: *καὶ Διονυσίῳ τῷ ὑστέρῳ Δίων ἐπέθετο διὰ τὸ καταφρονεῖν κτέ.*

dam inepta, cuiusmodi est hocce. Quum a Dionysio iterum in Siciliam vocatus esset, reputans *ὡς οὐδὲν θαυμαστὸν, νέον ἄνθρωπον παρακούοντα ἀξίων λόγου πραγμάτων, εὐμαθῆ, πρὸς ἔρωτα ἐλθεῖν τοῦ βελτίστου βίου*, censuit *δεῖν αὐτὸ ἐξελέγξαι σαφῶς*; et deinceps narrat qualem *πεῖραν* ad Dionysii animum explorandum adhibuerit, p. 339 E sq. Haec equidem credo inepto potius magistello quam Platone digna esse habenda. Dionysius tum circiter triginta annos natus erat et per quinque annos imperium tenuerat, quare non prorsus *νέος ἄνθρωπος* apellari poterat; Plato autem eius ingenium quale esset jam aliquot ante annis probe perspicere potuerat, quare ridiculum erat sperare subitam aliquam conversionem in eo factam esse, magis etiam ineptum, homini ea aetate talem adhibere *πεῖραν*, qualis in adolescentibus explorandis utiliter institui posset. Non mirum est evenisse quod accidit, Platonem oleum et operam perdidisse. [1])

Quod attinet ad consilia politica quae Dionis amicis impertit, p. 337 A, ea, quatenus non e libris de Legibus desumta sunt, satis ridicula mihi videntur. Et ea quidem quae initio dicuntur, novas leges ferendas esse tales, quae non minus victoribus quam victis acceptae sint, et duo esse quasi instrumenta quibus victi ad legum obsequium adduci possint, *αἰδῶ καὶ φόβον*, haec de-

---

1) Etiam Grote XI, p. 74—76, reprehendit Platonis agendi rationem in aula Dionysii et modum quo, secundum Epistolas, tyrannum ad philosophiam convertere studuit: „But still the experiment would have been tried with a fair chance of success, if only Plato during his shortlived spiritual authority at Syracuse, had measured more accurately the practical influence which a philosopher might reasonably hope to exercise over Dionysius." Vid. p. 76.

promta sunt e libris de Legibus, partim e libro I, p. 647 A B, ubi ostenditur, quodnam sit discrimen inter *φόβον* et *αἰδῶ* et quid utrumque ad erudiendos homines conferat, et e libro III, p. 698—99, ubi de priscis Atheniensibus dicitur (p. 698 B): *δεσπότις ἐνῆν τις αἰδὼς, δι' ἣν δουλεύοντες τοῖς τότε νόμοις ζῆν ἠθέλομεν.* et p. 699 C: *φιλίαν ἀλλήλων ἐνεποίει ὁ φόβος ὁ τότε παρὼν ὅ τ' ἐκ τῶν νόμων τῶν ἔμπροσθεν γεγονὼς . . . ἣν αἰδῶ πολλάκις ἐν τοῖς ἄνω λόγοις εἴπομεν.* partim e libro IV, p. 715 A—D, ubi dicit, plerumque fieri ut qui e bello vel e civilibus discordiis victores exstiterint, ii victis tales imponant leges, quibus imperii participatione et magistratibus prorsus excludantur; talem autem reipublicae rationem non *πολιτείαν*, sed potius *στασιωτείαν* nuncupandum esse, quum in *πολιτείᾳ* leges omnibus aequaliter consulant omnesque tam imperantes quam subditi legum servi sint, una lex omnium sit domina. Quae autem epistolographus his subjungit, vereor ne aeque a Platonis mente atque a praesenti Syracusarum et Siciliae conditione aliena sint. Jubet victores rerum potitos *αὐτοὺς ἐν αὐτοῖς ἄνδρας προκρῖναι τῶν ἄλλων, οὓς ἂν πυνθάνωνται ἀρίστους ὄντας· — ἀριθμὸν δ' εἶναι* (f. l. *δ', οἶμαι,*) *μυριάνδρῳ πόλει πεντήκοντα ἱκανοὶ τοιοῦτοι·* — his autem mandare *νόμους θεῖναι.* Beatos profecto victores illos putasset Plato, si in suo numero (*αὐτοὶ ἐν αὐτοῖς*) potuissent *πεντήκοντα νομοθέτας* invenire; quanto maius totidem reperire qui in ununaquaque *μυριάνδρῳ πόλει* leges darent. Ipse existimavit veram civitatis gubernandae artem *περὶ ἕνα τινὰ καὶ δύο καὶ παντάπασιν ὀλίγους* positam esse. Politic. p. 293 A. Atque in libris de Legibus nusquam sermo est nisi de uno *νομοθέτῃ*, qui sua voluntate et scientia ductus leges condat et civitatem instituat; e. g.

IV, p. 709 B—E, 719 A C. Quid autem sibi vult illud μυριάνδρῳ πόλει? Quasi hic agatur de condenda nova civitate, qualem Plato in Republica finxit, ubi licitum certum incolarum numerum definire, sicuti de Legg. V, p. 737, exempli gratia novam civitatem fingit πεντακισχιλίων καὶ τετταράκοντα hominum. At agitur de ordinanda republica Syracusis, Agrigenti inque ceteris Siciliae urbibus, quae singulae multas μυριάδας incolarum continebant. Id igitur plane absonum est. Numerus μυρίανδρος factus, opinor, ad similitudinem eius qui in Politico datur, p. 292 E, ubi Socrates quaerit: ἀλλ' ἆρα ἐν χιλιάνδρῳ πόλει δυνατὸν ἑκατόν τινας ἢ καὶ πεντήκοντα αὐτὴν (scientiam politicam) ἱκανῶς κτήσασθαι; Quum χιλίανδρος πόλις nostro scriptori parum sufficiens videretur, finxit μυρίανδρον. Ceterum eadem quae hic leguntur consilia plenius et enucleatius memorantur in Epist. VIII, p. 356; de quibus infra nobis erit agendi locus.

Praeterea in legenda hac epistola illud quoque nos offendit, quod Plato in omni commercio cum Dionysio magis procuratorem Dionis quam philosophiae antistitem agit; ita sollicitus est de recuperanda huius re familiari, ut philosophiam, cuius gratia potissimum illud iter susceperat, paene oblitus videatur. Omne fere tempus teritur jurgiis et discidiis, quae gravioribus sermonibus nullum relinquunt locum. Num hoc Platonis personae et moribus consentaneum? Num credibile eum semel iterumque tot menses in huiusmodi miseriis bonum otium perdere voluisse?

Haec de Platonis itineribus in Siciliam deque eius

cum Dionysio et Dione consuetudine. Ceterum mirandum in his epistolis nullam prorsus mentionem fieri de ceteris Platonis peregrinationibus quas suscepisse fertur Megara, Cyrenen, in Aegyptum, quarum commemorandi occasio non certe deerat, imo res ejus et vitam sic narrari, ut illis ne locus quidem relictus videatur: unde paene suspiceris epistolographum itinera ista ignorasse; quo sponte adducimur ad quaerendum, quid fidei istis relationibus sit habendum. Haec vero quaestio quum quodammodo sit digressio a proposito, postea a me tractabitur, si prius cetera ad historiam spectantia attigero.

§ 4.

De aliis quibusdam quae in Epistolis leguntur ad historiam spectantibus.

In Epistolis passim memorantur res ad Dionysii et Dionis familiam spectantes; in his nonnulla occurrunt quae arguunt scriptori non eam fuisse cum illis familiaritatem, qualem simulat. Sunt enim talia, in quibus, ut peregrino falli proclive, ita familiari labi non facile erat; cujusmodi sunt haec.

In Epistola VII, p. 328 A, Dio Platonem hortans ut Syracusas veniat, praedicat tum Dionysii *ἐπιθυμίαν τῆς φιλοσοφίας*, tum *τοὺς αὐτοῦ ἀδελφιδοῦς, ὡς εὐπαράκλητοι εἶεν πρὸς τὸν ὑπ' ἐμοῦ* (Platone) *λεγόμενον ἀεὶ λόγον καὶ βίον, ἱκανώτατοί τε Διονύσιον ξυμπαρακαλεῖν*. Dionis *ἀδελφιδοῖ*, e sorore nepotes, Dionysii junioris fratres, duo ab historicis nominantur, Hipparinus et Nysaeus (Nepos, Dion. c. 1). Jam ex ipsa Epistola, p. 324 A,

(quem locum mox tractabimus) apparet Hipparinum eo tempore puerum fuisse vix septem annorum, ut demonstravit Salomon (dissert. laud. p. 13); Nysaeus autem ne hanc quidem aetatem attigerat. Quid autem pueris ista aetate cum philosophia? aut quam vim ad Dionysii animum movendum habuisse putandi sunt?

In turpissimum vero errorem incidit scriptor Epistolae VIII, qui Dionis filium dudum ante vita defunctum commemorat quasi adhuc in vivis esset. Eundem lapsum in exordio Epistolae VII nonnulli deprenhendisse sibi visi sunt, quare primum hunc locum tractare juvat, quo illustrato de alterius errore in promptu erit judicare.

Initio Epistolae VII Plato de primo suo adventu in Siciliam regnante Dionysio maiore loquens, haec dicit: *ὅτε γὰρ κατ' ἀρχὰς εἰς Συρακούσας ἐγὼ ἀφικόμην, σχεδὸν ἔτη τετταράκοντα γεγονὼς, Δίων εἶχε τὴν ἡλικίαν ἣν τὰ νῦν Ἱππαρῖνος γέγονε, καὶ ἣν ἔσχε τότε δόξαν, ταύτην καὶ διετέλεσεν ἔχων, Συρακουσίους οἴεσθαι δεῖν ἐλευθέρους εἶναι, κατὰ νόμους τοὺς ἀρίστους οἰκοῦντας· ὥστε οὐδὲν θαυμαστὸν, εἴ τις θεῶν καὶ τοῦτον εἰς τὴν αὐτὴν δόξαν περὶ πολιτείας ἐκείνῳ γενέσθαι ξύμφωνον ποιήσειε.* h. e. „quum primum Syracusas venissem, annos circiter quadraginta natus, Dio ea erat aetate qua nunc est Hipparinus, et quam ille tunc habebat sententiam, in ea perseveravit, ut Syracusanos liberos esse debere censeret, optimis legibus utentes; quare mirum non est, si deus aliquis hunc quoque (Hipparinum) in eadem de republica voluntate cum illo consentientem faciat." Fuerunt autem duo Hipparini: alter Dionis filius ex Arete, prioris Dionysii filia, natus

(Plutarch. Dion. c. 31), alter eiusdem Dionysii filius, matre natus Aristomache, Dionis sorore (Nepos Dion. 1.), qui ambo aetate paene pares fuisse videntur; quare in ambiguo est, uter horum intelligatur. Plerique de Dionis filio cogitant; quippe par esse cum patre conjungi mentionem filii, et jure sperari posse, qualis pater fuisset, talem quoque futurum filium. Si vero hunc intellexit scriptor, gravi lapsus est errore. Relatum est enim ab historicis, Dionis filium, non multo postquam pater Syracusarum imperio potitus esset, de tecto aedium praecipitem se dedisse eoque casu mortuum esse: quae res, ut Nepos dicit (Dion. c. 4. Plutarch. c. 55), gravi vulnere affecit patris animum, etsi constantiam eius non fregit: quamobrem laudatur ab Aeliano, Var. Hist. III, 4, et a Plutarcho, Consol. ad Apollon. p. 119 A B. Quomodo Platonem aut aliquem e Dionis familiaribus fugere res tam luctuosa potuit?

Groteus (Hist. of Gr. vol. X, p. 436 not.) opinatur Dioni duos fuisse filios, quorum alterum patri superstitem fuisse, praesertim quod Timaeus Dionis filium non Hipparinum, sed Aretaeum nominatum esse dixerit. Atqui hoc discrimen tantum est nominis: nam Plutarchus (Dion. c. 31) diserte dicit, eum, cui Timaeus Aretaeo nomen fuisse narravit, eundem fuisse quem ceteri Hipparinum appellarunt. Accedit quod illo exstincto Dionem ἄπαιδα fuisse expresse proditum est (Plut. c. 56); quod testimonium quo jure pro falso rumore possit haberi, ut opinatur Groteus, ipse viderit. Imo ipsa haec epistola unum Dioni filium fuisse non obscure indicat.[1]) Ad affirmandum hoc testi-

1) Vid. p. 345 C, ubi de Dionis possessionibus agens Dionysius conten-

monium id quoque valet, quod, vivente adhuc Dione, ab inimicis eius rumor sparsus est (teste Plutarcho c. 56), eum, quum ipse filio orbatus esset, Apollocratem, Dionysii minoris filium, strenuum juvenem, successorem sibi destinasse. Quamobrem, nisi scriptori nostro sine justa causa turpem inscitiam imputare volumus, necesse est hic alterum Hipparinum intelligi, qui idem in Epistola VIII, p. 356 A, significatur. Quod de aetate Dionis et Hipparini dicit, plane convenit. Nam primo Platonis adventu in Siciliam Dio erat juvenis viginti annorum; eandem fere aetatem attigerat Hipparinus, occiso Dione. [1]) Quodsi hic intelligitur, comparatio inter eum et Dionem in hoc posita est: quemadmodum Dio, quem juvenis ostendit libertatis amorem, eundem semper retinuit, ita sperare licet fore ut Hipparinus quoque, quod nunc adolescens ostendit ingenium, id per reliquum vitae tempus servet. [2])

Tali interpretatione si Epistolam VII turpi errore liberare licet, idem tamen vitium inhaeret in Epistola VIII. Fingitur ibi Dio amicos suos ex inferis alloqui eosque hortari ut regem constituant *πρῶτον μὲν τὸν ἐμὸν* (ipsius Dionis) *υἱὸν, χαρίτων ἕνεκα διττῶν, τῆς τε παρ' ἐμοῦ*

---

disse dicitur: *εἶναι αὐτὰ οὐ Δίωνος, ἀλλὰ τοῦ υἱέος, ὄντος μὲν ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ*, h. e. Dionysii; et p. 347 D: *ὅτε δή μοι καὶ Διονύσιος ἐμνήσθη λέγων, ὅτι τὴν ἡμισείαν τῆς οὐσίας εἶναι δέοι Δίωνος, τὴν δ' ἡμισείαν τοῦ υἱέος.*

1) Demonstravit hoc Salomon ll. p. 11, qui de Hipparino et de omni Dionysiorum familia accurate disputat, p. 9—14 et 21 sqq. Incertus tamen haeret, uter intelligendus sit.

2) Hunc essè sensum verborum *εἰς τὴν αὐτὴν δόξαν ξύμφωνον*, supra indicavi, p. 45. Quod si reputasset Salomon, non, opinor, ineptam hanc comparationem judicasset, p. 11.

καὶ τοῦ ἐμοῦ πατρὸς . . ., δεύτερον δὲ δὴ ποιεῖσθε βασιλέα τὸν τῷ μὲν ἐμῷ πατρὶ ταὐτὸν κεκτημένον ὄνομα (*Ἱππαρῖνον*), *υἱὸν δὲ Διονυσίου, χάριν τῆς τε δὴ νῦν βοηθείας καὶ ὁσίου τρόπου . . ., τρίτον δὲ . . . Διονύσιον τὸν Διονυσίου, ἐὰν ἐθέλῃ ἑκὼν εἰς βασιλέως σχῆμα ἀπαλλάττεσθαι.* p. 355 E. sq. Totus hic locus ita comparatus est ut ineptum rhetorem facile arguat. Primo scilicet loco Dio commendat suum filium, ille quem *ἄπαιδα* mortuum esse constat; [1]) secundo loco Hipparinum, filium Dionysii maioris, de quo modo vidimus, cui scriptor non aliam ob causam secundos honores tribuisse videtur, nisi quod expellendo Callippo, Dionis interfectore, quasi ultor huius caedis exstitisset. Tertio loco Dionysium, tyrannum regno pulsum, eum videlicet quem ob dissolutos mores et perfidiam Dio oderat maxime et contemserat. Ignarum profecto fuisse et hominum et temporum oportet qui talia suadere potuit.

In eadem vero epistola (VIII) memoratur factum ex historia Syracusarum notatu dignum. Loquens de origine tyrannidis apud Syracusanos, dicit hanc institutam esse *τόθ' ὅτε κίνδυνος ἐγένετο ἔσχατος Σικελίᾳ τῇ τῶν Ἑλλήνων, ὑπὸ Καρχηδονίων ἀνάστατον ὅλην ἐκβαρβαρωθεῖσαν γενέσθαι· τότε γὰρ εἵλοντο Διονύσιον μὲν ὡς νέον καὶ πολεμικὸν ἐπὶ τὰς τοῦ πολέμου πρεπούσας αὐτῷ πράξεις, ξύμβουλον δὲ καὶ πρεσβύτερον Ἱππαρῖνον, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς Σικελίας, αὐτοκράτορας, ὥς φασι, τυράννους ἐπονομάζον-*

---

1) De Dionis filio, quem post necem mariti Arete in carcere peperit, et qui brevi post cum matre in mare praecipitatus est (Plut. Dion. c. 58), cogitare plane absonum foret, ut recte judicat Salomon, p. 25.

τες. p. 353 A B. Eodem spectant quae legimus p. 354 D: οἱ γὰρ πρὸ Διονυσίου καὶ Ἱππαρίνου ἄρξαντες Σικελιῶται τόθ', ὡς ᾤοντο, εὐδαιμόνως ἔζων, τρυφῶντές τε καὶ ἅμα ἄρχοντες· οἳ καὶ τοὺς δέκα στρατηγοὺς κατέλευσαν βάλλοντες τοὺς πρὸ Διονυσίου, κατὰ νόμον οὐδένα κρίναντες, ἵνα δὴ δουλεύοιεν μηδενὶ μήτε σὺν δίκῃ μήτε νόμῳ δεσπότῃ, ἐλεύθεροι δ' εἶεν πάντῃ πάντως· ὅθεν αἱ τυραννίδες ἐγένοντο αὐτοῖς.

Si comparamus hos locos, apparet eandem narrari rem, at diverso modo. In priore loco legimus, Dionysio et Hipparino, alteri ut viro forti et rei militaris perito, alteri ut prudenti consultori, imperium mandatum esse a civibus, ut a Carthagiensium dominatione eos defenderent. In posteriore autem tyrannis Dionysii nata esse dicitur e civitatis ἀναρχίᾳ, quum cives, injuste occisis decem ducibus, nullis amplius parere legibus vellent. Ut autem haec inter se parum congruunt, ita nequaquam conveniunt cum iis quae ex historicorum, Diodori imprimis narratione discimus, qui rem ita narrat, lib. XIII, c. 81—96. Quum Carthagienses a. 406 novam expeditionem in Siciliam suscepissent et urbem Agrigentum obsidione cinxissent, Daphnaeus aliique duces cum classe et exercitu a Syracusanis auxilio missi sunt Agrigentinis. Hi in urbem recepti mox ob frumenti inopiam noctu una cum civibus urbem reliquerunt et tradiderunt hostibus. Inde Syracusas reversi Daphnaeus ejusque collegae propter relictam urbem in concione proditionis accusati sunt. A quibusnam autem? Non a magistratibus vel ab iis *qui ante Dionysium imperium tenuerant*, ut dicit Epistola (οἱ πρὸ Διονυσίου ἄρξαντες), sed a factione, quae diu clam res novas molita, tum primum in lucem prodiit, cuiusque duces erant ipse Dionysius et Philis-

tus: hi στρατηγοὺς in jus vocarunt et accusarunt. [1]) Eventus autem fuit, secundum Diodorum c. 92, ut duces (quot fuerint non addit) *munere abdicati* aliis imperium cedere debuerint: ὁ δῆμος καὶ πάλαι μισῶν τοὺς στρατηγοὺς ... παραυτίκα τοὺς μὲν ἔλυσε τῆς ἀρχῆς, ἑτέρους δὲ εἵλετο στρατηγούς, ἐν οἷς καὶ τὸν Διονύσιον. Secundum Epistolae vero scriptorem decem duces *lapidibus obruti sunt.* Diodori narrationem veram esse ex eo apparet, quod paulo post (c. 96) refert, Dionysium, quo magis potestatem suam firmaret, de medio sustulisse Daphnaeum et Demarchum, qui ambo in ducum illorum numero fuerant. Etiam Groteo judice (p. 435 not.) Diodori fides hac in re Platonicae epistolae testimonio anteponenda est. Quae causa fuerit erroris, ambigas. Legitne fortasse in scriptore κατέλευσαν pro κατέλυσαν? An factum Syracusanorum confudit cum simili facto, quod in hoc ipso bello paulo ante evènerat, quum Agrigentini ira in belli duces accensi dicuntur τεττάρας αὐτῶν καταλεῦσαι? Ita opinatur Groteus, qui hoc tribuit memoriae parum firmae, qua Plato tum senex esset. Lepida excusatio, quam tamen et ego forsitan admitterem, si hanc unam ob causam Epistola Platoni abjudicanda esset. Sed pergamus. Secundum Diodorum novi belli duces creati sunt *plures*, in his Dionysius et (ut probabile est) etiam Hipparinus. Hoc est quo Epistola spectat in priore loco, p. 353 A, ubi tamen non *plures belli duces*, sed *duos* tantummodo τυράννους αὐτοκράτορας creatos esse dicit, Hipparinum


---

1) C. 91: ἀπορουμένων δὲ πάντων, παρελθὼν Διονύσιος ὁ Ἑρμοκράτους τῶν μὲν στατηγῶν κατηγόρησεν ὡς προδιδόντων τὰ πράγματα τοῖς Καρχηδονίοις, τὰ δὲ πλήθη παρώξυνε πρὸς τὴν αὐτῶν τιμωρίαν. De tota hac re conferatur Grote, Vol. X, p. 424 sqq. et 433 sqq.

et Dionysium. Plutarchus, in vita Dion. c. 3, secutus est Epistolam, attamen vidit, opinor, incredibile esse eos a populo *τυράννους*, et quidem *αὐτοκράτορας τυράννους*, appellatos fuisse; itaque pro hoc scripsit *στρατηγούς*. *Ἱππαρίνου* (dicit) *πρωτεύσαντος ἀνδρὸς Συρακουσίων καὶ Διονυσίῳ συνάρξαντος, ὅτε πρῶτον αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὸν πόλεμον ᾑρέθη στρατηγός*. Sed uterque erravit. Verum est quod Diodorus narrat, primo Dionysium belli ducem creatum esse cum collegis, postea vero hos, illius calumniis in odium multitudinis adductos, pulsos et soli Dionysio imperium mandatum esse (cf. Grote, p. 440 sq.). Quaenam autem hac in re Hipparini fuerint partes, docet Aristoteles in Politic. V, 56, qui narrat eum, exhausto patrimonio, opem tulisse Dionysio in occupando imperio, sperantem nimirum fore ut hac ratione rem familiarem quodammodo reficeret. [1]) Haec non prorsus conveniunt cum iis quae de Hipparini illius indole in hoc Epistolae loco memorantur. Et quae ibidem p. 355 E leguntur, ubi magno ei honori tribuitur quod *ἀπὸ βαρβάρων ἠλευθέρωσεν ἐν τῷ τότε χρόνῳ τὴν πόλιν*, in maius aucta videntur. Quasi huic uni e decem ducibus salus Siciliae imputanda esset!

Ut autem hunc, ita etiam minorem Hipparinum, huius nepotem, nimiis extollit laudibus, quum regem eum commendat duas ob causas: *χάριν τῆς τε δὴ νῦν βοηθείας καὶ (τοῦ) ὁσίου τρόπου, ὃς γενόμενος τυράννου πατρὸς ἑκὼν τὴν*

1) Aristotelis verba, citata a Groteo, haec sunt: *γίνονται δὲ μεταβολαὶ τῆς ὀλιγαρχίας καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ζῶντες ἀσελγῶς· καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται αὐτοὶ ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον, ὥσπερ Ἱππαρῖνος Διονύσιον ἐν Συρακούσαις.*



πόλιν ἐλευθεροῖ, τιμὴν αὐτῷ καὶ γένει ἀείζωον ἀντὶ τυραννίδος ἐφημέρου καὶ ἀδίκου κτώμενος. Ille Syracusas quidem a Callippi dominatione liberavit, sed hujus loco ipse occupavit tyrannidem, quae imperii mutatio num civibus multum profuerit, est quod dubites, si legis Plutarchi verba in Timoleonte, c. 1: Ἐπεὶ Δίων μὲν ἐξελάσας Διονύσιον τὸν τύραννον εὐθὺς ἀνῃρέθη δόλῳ, καὶ διέστησαν οἱ σὺν Δίωνι Συρακουσίους ἐλευθερώσαντες, ἡ δὲ πόλις ἄλλον ἐξ ἄλλου μεταβάλλουσα τύραννον (Callippum, Hipparinum, Nysaeum, Dionysium minorem) ὑπὸ πλήθους κακῶν μικρὸν ἀπέλιπεν ἔρημος εἶναι κτέ. Itaque in omni hac narratione agnoscimus rhetorem pro arbitrio res augentem vel minuentem.

Referuntur etiam quaedam e priorum temporum historia neque accurate neque e mente Platonis. Huiusmodi sunt quae in Epistola VII, p. 332, de Darii regno et de Athenarum principatu dicuntur.[1]) Dionysii maioris imperium comparat cum Darii regno et cum Atheniensium principatu, quorum hos immodice extollit, illum deprimit. Totus hic locus expressus est e Platone, sed ita, ut in altero philosophum, in altero rhetorem facile agnoscas. Plato (Legg. III, p. 694 sqq.) tanquam exempla, alterum δεσποτείας, alterum ἐλευθερίας, proponit regnum Persarum et rempublicam Atheniensium, ut in his ostendatur, quibus causis civitates crescant et labantur. Noster ambo haec imperia comparat cum tyrannide Dionysii, ut quantum haec illis inferior fuerit appareat. Talis comparatio quantopere claudicet, quis

1) Disseruit de hoc loco Salomon, ll. p. 18.

non statim sentit? De singulis autem haec dicit; primum de Dario, p. 332 A: (Διονύσιος) Δαρείου ἑπταπλασίῳ φαυλότερος ἐγένετο, ὃς οὐκ ἀδελφοῖς πιστεύσας οὐδ' ὑφ' αὑτοῦ τραφεῖσι, κοινωνοῖς δὲ μόνον τῆς τοῦ Μήδου τε καὶ εὐνούχου χειρώσεως, διένειμέ τε μέρη μείζω ἕκαστα Σικελίας πάσης ἑπτά, ... ἔδειξε τε παράδειγμα, οἷον χρὴ τὸν νομοθέτην καὶ βασιλέα τὸν ἀγαθὸν γίγνεσθαι· νόμους γὰρ κατασκευάσας ἔτι καὶ νῦν διασέσωκε τὴν Περσῶν ἀρχήν. Cum his compara haecce Platonis verba, p. 695 C: (Δαρεῖος) ἐλθὼν εἰς τὴν ἀρχὴν καὶ λαβὼν αὐτὴν ἕβδομος, διείλετο ἕπτα μέρη τεμόμενος, ὧν καὶ νῦν ἔτι σμικρὰ ὀνείρατα λέλειπται· καὶ νόμους ἠξίου θέμενος οἰκεῖν ... φιλίαν πορίζων καὶ κοινωνίαν πᾶσι Πέρσαις. In Platonis loco ἕβδομος λαβὼν αὐτὴν significat „regnum occupans unus e septem Persarum principibus," iis qui contra Magum conjuraverant; noster ridiculo utitur verborum lusu, quum Darium facit ἑπταπλασίῳ praestantiorem Dionysio, ut qui imperium Persarum divisisset in septem partes singulas tota Sicilia maiores. Tum, secundum Platonem, ordinis a Dario constituti tantum σμικρὰ ὀνείρατα λέλειπται, nimirum hanc ob causam (uti dicit p. 697 C), ὅτι τὸ ἐλεύθερον λίαν ἀφελόμενοι τοῦ δήμου, τὸ δεσποτικὸν δ' ἐπαγαγόντες μᾶλλον τοῦ προσήκοντος, τὸ φίλον ἀπώλεσαν καὶ τὸ κοινὸν ἐν τῇ πόλει. At, secundum Epistolam, Darius legibus condendis ἔτι καὶ νῦν διασέσωκε, h. e. incolume praestitit regnum Persarum. Qualis tum ista incolumitas esset, ex historia notum. De Atheniensium principatu ita loquitur, p. 332 B: ἔτι δ' Ἀθηναῖοι πρὸς τούτοις οὐκ αὐτοὶ κατοικίσαντες πολλὰς τῶν Ἑλλήνων πόλεις ὑπὸ βαρβάρων ἐκβεβλημένας, ἀλλ' οἰκουμένας παραλαβόντες, ὅμως ἑβδομήκοντα ἔτη διεφύλαξαν τὴν ἀρχήν, ἄνδρας φίλους ἐν ταῖς

πόλεσιν ἑκάσταις κεκτημένοι. In verbis notetur illud *πόλεις ἐκβεβλημέναι* pro *ἀνάστατοι γεγενημέναι*; quod vero ad rem attinet, haec supra verum aucta est et contra Platonis sententiam. Quod dicit Athenienses LXX annos *ἡγεμονίαν* tenuisse, in hoc rotundo numero usus est; nam si annos computamus a constituta hegemonia ope Aristidis (Ol. 75, 4; a. C. 477) ad cladem in Sicilia, quam secuta est sociorum defectio (Ol. 92, 1; a. C. 412), ea duravit tantum LXV annos. Sed hoc ut concedamus, ineptum est quod dicit Athenienses imperium tutatos esse *ἄνδρας φίλους ἐν ταῖς πόλεσι ἑκάσταις κεκτημένους.* Nimirum *φιλία* ista in eo cernebatur quod popularibus contra optimates favebant, idque non magis gratia quam vi et armis. Platonis autem judicio, quod legitur in dialogo Gorgia, Athenarum civitas, ducibus Themistocle, Cimone et Pericle, nequaquam aliis exemplo proponi poterat; atque in hoc ipso loco (de Legg. p. 701 A, B) dicit: *ἀντὶ ἀριστοκρατίας ἐν αὐτῇ θεατροκρατία τις πονηρὰ γέγονεν*, quam secuta est *παρανομία* et *ἀναισχυντία, διὰ δή τινος ἐλευθερίας λίαν ἀποτετολμημένης.* [1])

Venio ad Epistolam VIII, p. 354 B, ubi de Lycurgo haec leguntur: *δείσας περὶ τῆς αὐτοῦ πόλεως ἅμα καὶ γένους, φάρμακον ἐπήνεγκε τὴν τῶν γερόντων ἀρχὴν καὶ τὸν τῶν ἐφόρων δεσμὸν τῆς βασιλικῆς ἀρχῆς σωτήριον.* Scriptor in his secutus est Platonem de Legg. III, p. 691 E, sed ita, ut ab ejus mente et sententia aberrasse videatur. Platonis verba haec sunt: *θεός, οἶμαι, κηδόμενος ὑμῶν τις . . . δίδυμον ὑμῖν φυτεύσας τὴν τῶν βασιλέων γέ-*

1) Cf. de Geer, Diatribe in Polit. Platon. princ., p. 35 sqq.

νεσιν ἐκ μονογενοῦς, εἰς τὸ μετρίον μᾶλλον ξυνέστειλε· καὶ μετὰ τοῦτ' ἔτι φύσις τις ἀνθρωπίνη μεμιγμένη θείᾳ τινὶ δυνάμει … τὴν τῶν ὀκτω καὶ εἴκοσι γερόντων (δύναμιν) ἰσόψηφον εἰς τὰ μέγιστα τῇ τῶν βασιλέων ποιήσασα δυνάμει· ὁ δὲ τρίτος σωτὴρ … οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν. Igitur secundum Platonem salutis Spartanorum tres fuerunt auctores: primo loco natura sive aliquis deus; alter mortalis divina indole praeditus, qui senatum instituit; tertius, qui ephororum magistratum regiae potestati addidit tanquam frenum. Alium ergo τῆς γερουσίας, alium τῶν ἐφόρων potestatis auctorem facit. Si mortalis ille divino ingenio praeditus Lycurgus habendus est, qui tertius memoratur ab illo diversus est et recentior. Jure Salomon (p. 20 sq.) inde colligit, Platonem ephororum auctorem significasse eundem quem Aristoteles nominat Polit. V, 11, regem Theopompum. Id nostrum fugit, ideoque secutus est vulgarem opinionem, quae utriusque magistratus institutionem Lycurgo tribuit. Herod. I, 65.[1])

In ceteris quoque epistolis passim occurrunt quaedam fide indigna et figmentis similia. Velut Epistola II ut in verbis et sententiis multa habet a Platone aliena, etiam rem memorat parum probabilem. In extrema pagina (p. 314 E) Plato Dionysio scribit: „Speusippo utere et [deinde eum ad nos] remitte." At sive haec epistola post alteram sive post tertiam profectionem scripta cre-

1) Salomonis argumenta speciosius quam verius refellere instituit Hermannus in Zeitschr. f. Alterthw. 1837, p. 277. Discrepantia inter Platonis locum et Epistolam jam non fugerat Astium, Animadv. in Plat. de Legg. p. 174.

datur (vid. supra p. 129), utroque tempore Speusippum, qui Platonem in Siciliam comitatus erat, Athenis fuisse ibique Dionis familiaritate usum esse e Plutarcho discimus, Dion. c. 17 et 22. Quare merito hoc inter *νοθείας* indicia habet Wiegandus (in lib. supra laud. p. 30), auctorem secutus M. A. Fischer, Diss. de Speusippi vita et scriptis. Rastad. 1845.

In Epistola XIII, p. 361 C, mentio fit de corona Platoni oblata, sed ab eo spreta: *εἰσί μοι ἀδελφιδῶν θυγατέρες τῶν ἀποθανουσῶν τόθ' ὅτ' ἐγὼ οὐκ ἐστεφανούμην, σὺ* (scil. Dionysius) *δ' ἐκέλευες*, h. e. *eo anno quo coronari me non passus sum, etsi tu hortabaris.* Mortis puellarum tempus designat, non sine ambitione, oblato ipsi praemio; quale autem id fuerit non addit; sed sive intelligatur corona civica sive militaris sive ludicra, si Platoni talis honor contigisset, id certe vitae eius enarratores non silentio praeteriissent. Quare merito, opinor, ut commenticium notatur ab Astio, Platon's Leb. u. Schr. p. 529. Sed haec hactenus; nunc paulisper ad Platonis itinera revertamur.



CAPUT VII.

DE PLATONIS ITINERIBUS QUORUM IN EPISTOLIS MENTIO NON FIT.

Supra animadvertimus, de itineribus, quae Plato Megara, Cyrenen, in Aegyptum et in Italiam suscepisse traditur, in Epistolis nullam fieri mentionem, imo totam narrationem ita compositam esse, ut peregrinationi in longinquas terras vix locus relinqui videatur. Si enim quae in Epistola VII tum de Platonis adolescentia tum de vita post Socratis mortem Athenis acta usque ad profectionem in Italiam narrantur, attente legimus, nihil aliud inde efficiamus nisi hoc: Platonem per omne illud tempus in patria mansisse, idque transegisse partim ineundis consiliis de capessenda republica, partim philosophiae studiis, maxime vero cogitationibus de emendanda civitate, atque inde in animo eius natam esse illam perfectae civitatis formam, quae in opere περὶ Πολιτείας expressa est: quam quum in Graecia effectam reddi posse desperaret, quadragenarium relicta patria in Italiam abiisse. Quodsi intra hoc annorum intervallum Plato vel taedio rerum civilium vel discendi gratia peregre aliquo profectus esset, scriptori ita loqui non licuit. Post re-

ditum autem ab hoc itinere usque ad alterum iter in Siciliam intercesserunt fere viginti anni. Quod temporis spatium quomodo transegerit, epistola silentio praeterit; in transitu tantum memorantur eius *διατριβαὶ οὐκ ἀσχήμονες* (p. 329 B) et praedicatur facultas eius persuadendi, qua adolescentes inter se *εἰς φιλίαν καὶ ἑταιρείαν* conciliare posset (p. 328 D): quae spectant ad scholam in Academia conditam; de itineribus nihil. Exacto hoc tempore iterum in Siciliam profectus, memorat se in discessu adiisse Tarentum et cum Archyta hospitium junxisse (p. 338 C); inde Athenas reversus est. Erat tum sexagenarius et ad peregrinandum tardior; nihilominus tertio ad Dionysium profectus est, unde re infecta jam paene septuagenarius in Graeciam rediit. Per omnia haec tempora de itineribus in alias regiones factis nec vola nec vestigium, quamquam ea commemorandi occasio sponte se offerebat. Unde colligere licet, aut scriptorem itinera illa ignorasse, aut, si novit, proposito operis intentum oblivione praeteriisse. Memoratu autem dignum neque in ceteris Epistolis Platonicis de peregrinatione illa quicquam legi; contra in Socraticis quae feruntur Epistolis, quae illis sunt certe aliquanto recentiores, de itineribus illis mentio fit. Itaque non supervacuum opinor, quae de itineribus Platonis Megara, Cyrenen, in Aegyptum, Tarentum tradita sunt, qua auctoritate nitantur quidve iis tribuendum sit fidei, inquirere. Subit enim cogitatio, omnem illam peregrinationem fingi potuisse ab hominibus otiosis, sive studio, quod Platonem hac in re Soloni, Pythagorae, Democrito cedere nollent, sive quod opinarentur eum, quae de Aegypto, de Pythagoreis, de Megaricis refert, noscere non potuisse, nisi in ipsis illis locis esset versa-

tus. Quaestio obscura, de qua si certum comperire difficile, tamen quid probabile sit, examinatis scriptorum testimoniis, quaeramus.

Duo sunt testes qui de his peregrinationibus ceteris plenius retulerunt: alter est Apuleius, alter Diogenes Laërtius.

Apud Apuleium, de dogm. Plat. I, c. 3, haec leguntur: „Posteaquam Socrates homines reliquit, quaesivit (Plato) unde proficeret, et ad Pythagorae disciplinam se contulit... Et quod Pythagoreorum ingenium adjutum aliis disciplinis sentiebat, ad Theodorum Cyrenas ut geometriam disceret est profectus; et astrologiam adusque Aegyptum ivit petitum, ut inde prophetarum ritus etiam addisceret. Et ad Italiam iterum venit, Pythagoreos Euritatum (Eurytum) Tarentinum et seniorem Archytam sectatus. Atque inde ad Indos et Magos intendisset animum, nisi tunc eum bella vetuissent."

Quonam ex fonte Apuleius haec hauserit nos latet. Stallbaumius [1]) e Speusippi libro fluxisse suspicatus est, in quo vir doctus falli videtur. Apuleius Speusippum auctorem nominat in iis quae habet de Platonis indole et ingenio, cap. 2; deinde vero postquam poëtica et philosophica eius studia paucis absolvit, cap. 3 et 4 pergit in enarrandis itineribus; in his autem testem illum non citat, quod sane non omisisset, quo plus ponderis haberet ipsius testimonium, praesertim quum ad defendendum Platonem sit compositum. Praeterea, quae de proposito illius itinere ad Indos et Magos et quae de

1) In diss. de Platon. vita, praemissa edit. Apologiae et Critonis, p. XX.

itineribus in Siciliam ab Apuleio narrantur, supra a nobis relata, in his Speusippo auctore eum usum esse quis credat?

Apud Diogenem haec legimus, l. III, § 6: *ἔπειτα γενόμενος ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἐτῶν, καθά φησιν Ἑρμόδωρος, εἰς Μέγαρα πρὸς Εὐκλείδην σὺν ἄλλοις τισὶ Σωκρατικοῖς ἀπεχώρησεν· κἀκεῖθεν εἰς Ἰταλίαν πρὸς τοὺς Πυθαγορικούς, Φιλόλαον καὶ Εὔρυτον· ἔνθεν τ' εἰς Αἴγυπτον παρὰ τοὺς προφήτας· οὗ φασὶ καὶ Εὐριπίδην αὐτῷ συνακολουθῆσαι·... διέγνω δὴ ὁ Πλάτων καὶ τοῖς Μάγοις συμμῖξαι, διὰ δὲ τοὺς τῆς Ἀσίας πολέμους ἀπέστη· ἐπανελθὼν δ' εἰς Ἀθήνας διέτριβεν ἐν Ἀκαδημίᾳ.* Diogenes testem hic citat Hermodorum, discipulum, ut ferunt, Platonis. [1]) Ne tamen credamus omnem hanc relationem huius testimonio niti; id vel eo redarguitur, quod et in praegressis et in sequentibus usurpat *φασίν*. Hermodori testimonium spectare tantum videtur ad profectionem in urbem Megara, reliqua ut fama prodita referuntur. Ceterum et Apuleius (c. 4) et Laërtius (§ 18) itinera in Siciliam separatim a reliquis itineribus memorant, non indicantes quo modo haec cum illis cohaereant. In amborum autem narratione inest aliqua discrepantia. Secundum Laërtium Plato Athenis se contulit primum Megara, tum Cyrenen, inde in Italiam, postremo in Aegyptum. Secundum Apuleium, qui Megara non memorat, primum adiit Italiam, deinde Cyrenen et Aegyptum, postremo iterum Italiam. Diogenes etsi alterum iter in Italiam non me-

---

1) Simplicius ad Aristot. Physic. lib. I, p. 344 Brand.: *ὁ Πορφύριος ἱστορεῖ τὸν Δερκυλλίδην... Ἑρμοδώρου τοῦ Πλάτωνος ἑταιροῦ λέξιν παραγράφειν κτέ.* Cf. Suidas in v. *λόγοισιν Ἑρμόδωρος.* Cic. Epist. ad Att. XIII, 21.

morat, id tamen sumere debuit, quoniam, si ex Italia statim in Aegyptum profectus est, inde rediit Athenas, necesse fuit eum iterum in Italiam tendere, inde in Siciliam trajecterum. Ceteri scriptores qui itinera commemorant, in hoc quoque dissident, quod alii eum non ex Italia in Aegyptum vel Cyrenen, sed primum in Aegyptum, post in Italiam profectum dicunt.

Cicero, de Rep. I, 10: „Audisse te credo Platonem Socrate mortuo primum in Aegyptum discendi causa, post in Italiam et Siciliam contendisse, ut Pythagorae inventa perdisceret." De Fin. V, 29: „Cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et coelestia acciperet? cur post Tarentum ad Archytam, cur ad reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Acrionem Locros, ut, quum Socratem expressisset, adjungeret Pythagoreorum disciplinam eaque quae Socrates repudiabat addisceret?" Cf. Tusc. I, 17; de Sen. c. 12. [1])

Animadvertatur Ciceronem dicere, eum *primum* in Aegyptum profectum esse, *post* in Italiam et Siciliam, non *inde* in Italiam: quare nihil obstat quominus verba eius sic interpretemur (quod etiam per Apuleium licet), eum ex Aegypto rediisse in patriam, postea hinc contendisse in Italiam. Sic iter in Aegyptum ab itinere in Italiam et Siciliam sejungitur.

Ex hac scriptorum inter se dissensione effici po-

---

1) Rem strictim tangit Quinctilianus, Inst. Or. I, 12, 15: „Non contentus disciplinis quas praestare poterant Athenae, non Pythagoreorum ad quos in Italiam navigavit, Aegypti quoque sacerdotes adiit atque eorum arcana perdidicit." Valerius Maximus, VIII, 7, priorem Ciceronis locum describit.

test, istas narrationes e fama potius quam e disertis auctorum testimoniis fluxisse. Praecipue notatu dignum, quod a Diogene, praeter Hermodori testimonium de profectione Megarensi, nullus his de rebus testis citatur, quamquam quadraginta amplius scriptores ad Platonis vitam conscribendam adhibuit, quorum multi Platoni suppares fuerunt. Id profecto eo nos ducit, ut credamus illorum neminem de Platonis illa peregrinatione retulisse [1]) eamque fama potius quam literarum memoria esse divulgatam.

In hoc autem omnes isti scriptores consentiunt, quod Platonem itinera illa, quae plures annos durassent, suscepisse dicunt brevi post mortem Socratis tempore, atque, ut Laërtius addit, antequam scholam in Academia condidisset: hoc est, per ipsum illud tempus, per quod, secundum Epistolographum, Plato Athenis degit, in politicis consiliis et philosophiae studiis occupatus. Nam quod scholam aperuit in Academia, id certe factum

1) Unus fortasse testis afferri possit gravissimus, Aristoxenus, in Vita Platonis, e quo Aristocles apud Eusebium Praep. Eu. XV, 2, haec refert: ἐν γὰρ τῇ πλάνῃ καὶ τῇ ἀποδημίᾳ φησὶν ἐπανίστασθαι καὶ ἀντοικοδομεῖν αὐτῷ τινὰς περίπατον ξένους ὄντας. Sed Aristoxenum hac ἀποδημίᾳ intellexisse tertiam profectionem in Siciliam ostendit Aristides, II, p. 324, Dind. haec scribens: ἕτεροι δ' αὖ φασὶν ἀληθῆ λέγειν τούτους, ὡς, ὅτε τὴν τρίτην ἀποδημίαν εἰς Σικελίαν ἀπεδήμησε, τότε τῶν ἑταίρων τινὲς αὐτοῦ καὶ τῶν εἰς τὰ μάλιστα ὡμιληκότων ὑπολειφθέντες οἴκοι νεώτερα ἐβουλεύσαντο... οἱ δὲ διατριβάς τε ἀντισκευάζειν αὐτοῖς ἠξίουν πλήσιον τῆς ἐκείνου καὶ ᾠκοδόμουν ἐπὶ τῇ Ἀκαδημίᾳ. Spectat hoc manifeste ad Aristotelem. Atqui luce clarius est Platonem longinquas illas peregrinationes, si suscepit, multo ante suscepisse quam Aristoteles Athenas venisset, ideoque ad itinera in Aegyptum, cet. haec Aristoxeni verba referri nequeunt. Aristoxeni locus fugit Stahrium, Aristot. I. p. 52.

statim aut brevi post reditum a primo itinere in Siciliam. Haec vero eiusmodi esse ut conciliari nequeant, sponte patet. Jam de singulis itineribus singulatim videamus.

Iter Megaram. Huius itineris Diogenes, praeterquam loco supra laudato, iterum mentionem facit in vita Euclidis, II, § 106: *πρὸς τοῦτόν* (Euclidem) *φησιν ὁ Ἑρμόδωρος ἀφικέσθαι Πλάτωνα καὶ τοὺς λοίπους φιλοσόφους μετὰ τὴν Σωκράτους τελευτὴν, δείσαντας τὴν ὠμότητα τῶν τυράννων.* Haec sola sunt testimonia, quae de Megarensi itinere exstent; nam quae Menagius confert Libanii et Io. Chrysostomi, ex eodem certe fonte sunt derivata, ut judicat Hermannus (Plat. Phil. p. 106, not. 82). Auctor narrationis a Diogene citatur Hermodorus, ille nimirum quem Platonis discipulum fuisse accepimus. Num locupletiorem testem requiramus? Attamen fides eius non parum debilitari videtur additis verbis: *δείσαντας τὴν ὠμότητα τῶν τυράννων.* Quis enim nescit, Socratem non sub XXX tyrannorum dominatu, sed quatuor annis post illos expulsos damnatum esse? Si Hermodori tanta fuit temporum ignorantia, ne reliquum quidem eius testimonium magni ponderis potest haberi. Ueberweg (ll. p. 118) difficultatem ita tollere conatur, dicens, Hermodorum *τυράννων* appellatione significasse non *τοὺς τριάκοντα τυράννους*, quippe qui postea demum hoc nomine insigniti sint, sed demagogos, crudelitate et potentia tyrannorum similes. At isti numquam *τύραννοι* vocati sunt, triginta autem viri jam ab Aristotele *οἱ τριάκοντα τύραννοι* appellantur, Rhet. II, 4. Itaque tali interpretatione Hermodori testimonium parum juvatur. Ego vero persuadere mihi non possum, hunc, si fuit, ut habetur, Platonis aequalis, in

talem errorem incidere potuisse; potius credo eum hoc tantum retulisse, Platonem ceterosque Socratis discipulos post huius mortem profectos esse Megara ad Euclidem; rationem vero cur id fecissent, nempe quod metuerent tyrannos, a Diogene aliove adjectam esse.

Itaque positum sit, Hermodoro teste, Platonem Socrate mortuo Megara cessisse. Quod epistola de hoc mentionem non facit, sed philosophum Athenis permansisse scribit, ita explicari poterit, si statuamus, iter illud Megarense digressionem potius et quasi diverticulum quam excessum ex urbe fuisse, ob loci vicinitatem, quare id silentio praeterire licuisse. Hermanno certe assentiri non possum, opinanti Platonem, mortuo Socrate, diu Megaris habitasse et ibi Euclidis potissimum consuetudini acceptam debuisse interiorem illam Eleaticae doctrinae scientiam et dialectices peritiam, quam cum ethica Socratis conjunxit.[1]) Quasi vero Athenis, philosophorum et sophistarum sede, Eleatica philosophia non aeque nota esset atque Heraclitea, in qua Plato adolescens magistro usus est Cratylo, ut retulit Aristoteles.[2]) Et quidni ex eodem fonte illam philosophiam noscere potuit unde eam accepit Euclides, qui Platoni aequalis fuit?[3]) Quid quod jam vivente Socrate, ut refert Laërtius II, 3, Euclides *περὶ τοὺς ἐριστικοὺς λόγους ἐσπούδακε*: quare non erat, cur,

---

1) Hermann ll. p. 46: „So ist est schon an sich eine höchst wahrscheinliche Vermüthung, dass eben dieser Aufenthalt in Megara es ganz vorzüglich war der Plato mit dem eigentlichen Stande der Griechische Speculation, und demgemäss mit dem wahren Bedürfnisse des philosophischen Geistes seiner Zeit näher bekannt machte."

2) Metaph. I, 5, p. 20 Brand.

3) Vid. Deyks, de Megaricis, p. 5.

mortuo demum magistro, Plato Megaram contenderet ut dialectica ab Euclide disceret.

Iter in Aegyptum. De hoc itinere silet, ut vidimus, Epistola; ceterorum autem testium maior est numerus quam pondus. Horum antiquissimus est Cicero; plenius vero de hoc itinere agunt Apuleius et Laërtius, quorum testimonia supra allata sunt (p. 166 seq.). His primariis testibus addendi Strabo, XVII, 1, 29; Plutarchus, de Genio Socr. p. 579 A; Philostratus, Vit. Apollon. I, 1; Epist. Socr. 28.[1]) Quorum narrationes percurrentibus apparebit eas pedetentim magis magisque auctas esse atque, ut de fama dici solet, eundo crevisse.

Apuleius et Laërtius praeterea tradunt, Platoni in Aegypto degenti in animo fuisse in Asiam quoque tendere, a quo consilio Asiaticis bellis fuisset avocatus. Reapse iter illud ab eo susceptum esse affirmant Lactantius, Instit. IV, 2, et Clemens, Protrept. p. 46 A, qui contendit eum *ἀστρονομίαν παρὰ Βαβυλωνίων* et *νόμους τοὺς ὅσοι ἀληθεῖς καὶ δόξαν περὶ θεοῦ παρ' αὐτῶν τῶν Ἑβραίων ὠφελῆσαι.* Alii quasi in medio itinere subsistunt, et in Phoenice eum Magis occurrisse volunt, ut Olympiodorus in Vit. Platon. (Cf. Hermann ll. p. 114, not. 124); anonymus vero vitae Platonis enarrator non ipsum in Orientem venisse, sed Magos Platonis fama commotos Athenas venisse commemorat: ut quasi concertatio fuerit,

1) Epistola haec Platoni scripta fingitur in Aegypto commoranti; jam vero memoratur in ea Timaeus Tauromenita, qui floruit fere L annis post Platonis mortem. Quid istiusmodi testimonio lucremur ultro patet. Omitto Quinctilianum et Valerium, quos supra p. 167 not. attuli.

utrum Oriens Graecum philosophum, an hic illos maiore studio coleret ac veneraretur.

In scriptorum autem relationibus de Aegyptio itinere leguntur quae non valent ad eorum fidem firmandam. Laërtius comitem Platoni adjungit Euripidem, qui jam septem annis ante Socratis mortem e vita decesserat; Plutarchus narrat itineris eum socios habuisse Ellopionem Peparethium, hominem ignotum, et Simmiam Thebanum. [1]) Denique Strabo Platonis condiscipulum apud Aegyptios sacerdotes Eudoxum fuisse scribit, idemque domum illorum Heliopoli sibi monstratam esse refert. De Eudoxo Platonis comite item nobis auctor est Clemens (Strom. I. p. 303 C), qui etiam sacerdotum, quibus ambo magistris usi essent, nomina memoriae prodidit. Praeterea de tempore profectionis et de diuturnitate non convenit. Strabo tradit commorationem in Aegypto per tredecim annos durasse; igitur omne tempus inter Socratis mortem et Platonis profectionem in Italiam (399—387) ea peregrinatione expletum esse sumit, quum ceteri scriptores in idem spatium alia etiam itinera conferant. Praeterea vero ferunt Platonem a. 395 in Atheniensium exercitu militasse. Vid. Diog. Laërt. III, 8. Aelianus, Var. Hist. VII, 14 Cf. Clinton Fast. Hell. ed. Krüger. p. 101 et p. 377. Narratio de itinere ad Magos haud dubie manavit e studio Graecanicam sapientiam ex Oriente repetendi; non absonum igitur foret suspicari iter

---

1) Simmias apud Plut. de Gen. Socr. p. 576 sqq. dicitur πολὺν χρόνον ἐπὶ τῆς ξενίας (ξένης?) γεγονὼς καὶ πεπλανημένος ἐν ἀλλοδαποῖς ἀνθρώποις atque πολλὰ τοῖς ἱερεῦσι διὰ φιλοσοφίαν συγγενόμενος. Utrum autem Plutarchus argumento dialogi inserviens Simmiam Aegyptum visitasse referat, an idonei testis auctoritate fretus, in dubium vocari potest.

in Aegyptum e simili causam fictum esse. Nemo enim ignorat, quanto studio Alexandrini ostendere conati sint, omnis Graecorum humanitatis et sapientiae Aegyptum et Orientem quasi incunabula fuisse. [1])

Neque vero iis qui Platonis sapientiam ab Orientis commercio repetere vellent, indicia deesse poterant unde eiusmodi quid efficerent. In Phaedone p. 78 audimus Socratem ad amicos, qui discessum eius lugebant, haec dicentem: *πολλὴ μὲν ἡ Ἑλλάς, ὦ Κέβης, ἐν ᾗ ἔνεισί που ἀγαθοὶ ἄνδρες, πολλὰ δὲ καὶ τὰ τῶν βαρβάρων γένη, οὓς πάντας χρὴ διερευνᾶσθαι ζητοῦντας τοιοῦτον ἐπῳδόν, μήτε χρημάτων φειδομένους μήτε πόνων.* Quum Plato haec Socratem aliquot annis post eius mortem dicentem facit, posset aliquis opinari eum magistrum suum induxisse id suadentem, quod ipse postea cum aliis Socratis discipulis fecisset; neque id esset absonum. Si tamen reputamus Socratem facete et ironice hic loqui, probabilius est veram et Socratis et ipsius Platonis mentem expressam esse his verbis quae statim addit: *ζητεῖν δὲ χρὴ καὶ αὐτοὺς μετ' ἀλλήλων· ἴσως γὰρ ἂν οὐδὲ ῥᾳδίως εὕροιτε μᾶλλον ὑμῶν δυναμένους τοῦτο ποιεῖν.* „Maxime vero vestro in coetu quaerite talem *ἐπῳδόν*: fortasse enim neminem facile inveniatis, qui ea facultate magis quam vos valeat."

At praeterea non pauci sunt loci in Platone, ubi Phoenicum, Persarum, Aegyptiorum aliarumque barbararum gentium mentio fit. Phoenicum ingenium declarat de Rep. IV, p. 436 A. De Persarum institutis loquitur

---

1) Cf. scriptores citati ab Hermanno ll. p. 112, not. 112, et p. 114, not. 125.

de Legg. III, p. 694 sq. 698 A. Eris Armenii mentio fit de Rep. X, p. 614 B. De Aegyptiis autem eorumque disciplina et institutis plura leguntur tum in Phaedro et in opere de Legibus [1]) tum praecipue in Timaeo. Refert ibi sermonem sacerdotis Aegyptii, quem hic olim cum Solone habuisset, quo docetur veterem cognationem fuisse inter Aegyptios et Athenienses atque prisca Atticorum instituta, imprimis ordinum divisionem, eadem fuisse quae in Aegypto tum adhuc remanerent: cuius rei testimonia affert vetera momumenta et libros sacros Aegyptiorum. Timaeus, p. 23 E: *τῆς δ' ἐνθαδὶ διακοσμήσεως παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν ὀκτακισχιλίων ἐτῶν ἀριθμὸς γέγραπται.* Cf. Critias, p. 119 E. Num mirandum inde effectum esse, quae Plato hominem Aegyptium facit narrantem, ea ipsum in Aegypto accepisse? Quid quod fuerunt qui dicerent Platonem perfectae suae civitatis effigiem ab Aegyptiis duxisse. Memorabile hac de re est testimonium Crantoris, qui fuit Xenocratis auditor, aequalis Speusippi, servatum a Proclo ad Timaeum p. 24, quo loco de insula Atlantide sermo est. Verba eius haec sunt: *Τὸν περὶ τῶν Ἀτλαντίνων ξύμπαντα τοῦτον λόγον οἱ μὲν ἱστορίαν ψιλὴν εἶναί φασιν, ὥσπερ ὁ πρῶτος Πλάτωνος ἐξηγητὴς Κράντωρ· ὃς δὴ καὶ σκώπτεσθαι μέν φησιν αὐτὸν* (scil. *τὸν Πλάτωνα*) *ὑπὸ τῶν τότε, ὡς οὐκ αὐτὸν ὄντα τῆς πολιτείας εὑρέτην, ἀλλὰ μεταγράψαντα τὰ Αἰγυπτίων, τὸν δὲ τοσοῦτον ποιήσασθαι τῶν σκωπτόντων λόγον, ὥστε ἐπ' Αἰγυπτίους ἀναπέμψαι τὴν περὶ Ἀτλαντίνων ταύτην ἱστορίαν, ὡς τῶν Ἀθηναίων κατὰ ταύτην ζησάντων ποτὲ τὴν πολιτείαν. μαρτυροῦσι δὲ καὶ οἱ προφῆται, φησὶ, τῶν Αἰγυπτίων, ἐν*

---

1) Loci indicantur ab Hermanno p. 113.

στήλαις ταῖς ἔτι σωζομέναις ταῦτα γεγράφθαι λέγοντες. Sensus hic est: „Sunt qui narrationem de insula Atlantide meram historiam esse dicant, ut primus Platonis interpres Crantor, qui refert etiam Platoni ab aequalibus exprobratum esse, quod Politiam, h. e. perfectam quam finxit civitatis speciem, non ipse invenisset, sed eam descripsisset ab Aegyptiis (μεταγράψαντα τὰ Αἰγυπτίων), eumque hanc exprobrationem tanti fecisse, ut, quo eam redargueret, illam Timaei narrationem, secundum quam Athenienses dudum ante iisdem institutis quae in Politia exposuit usi essent, Aegyptiis tribuerit." Verba μεταγράψαντα τὰ Αἰγυπτίων ambigi potest quid significent: μεταγράφειν dicitur et de scriptore qui alterius librum *describit* et de pictore qui rem aliquam *imitando refert*, *depingit*. Itaque Crantoris verba possunt significare, Platonem Aegyptiorum libros transscripsisse, hoc est e sacerdotum libris sacris Politiam suam compilasse, vel eum Aegyptiorum instituta imitando in suam civitatem transtulisse. Posterius significari non dubium opinor, nisi forte Crantor putaverit Platonem Aegyptiorum linguam calluisse et sacerdotes libros suos peregrino homini describendos dedisse. Ergo haec verba non indicant, Platonem ipsum in Aegypto fuisse: nam instituta illa Aegyptiorum omnibus nota erant et pro parte tum adhuc ibi vigebant, ut etiam suo tempore Plato dicere posset, quod sacerdotem illum facit dicentem, p. 24 A: πολλὰ γὰρ παραδείγματα τῶν τότε παρ' ὑμῖν (h. e. Atheniensibus) ὄντων ἐνθάδε (h. e. in Aegypto) νῦν ἀνευρήσεις· πρῶτον μὲν τὸ τῶν ἱερῶν γένος ..., μετὰ δὲ τοῦτο τὸ τῶν δημιουργῶν ..., τό τε τῶν νομέων καὶ τῶν θηρευτῶν τό τε τῶν γεωργῶν, καὶ δὴ καὶ τὸ μάχιμον γένος.

Ceterum quod Crantor dicit, Platoni id ab aequalibus (ὑπὸ τῶν τότε) objectum fuisse, parum verisimile puto. Si Platonis aequales eius laudibus obtrectare atque inventionem Politiae ei surripere voluissent, illam non descriptam esse dixissent ab Aegyptiorum institutis, quibuscum non nisi pauca illi erant communia, sed potius a Lycurgi legibus Spartanorumque et Cretensium institutis. Quanta enim similitudo his cum Platonis civitate intercedat, vel ex eo apparet, quod viri docti dubii haerent, utrum Aristophanes in Ecclesiazusis Spartanorum instituta an Platonis civitatem deridere in animo habuerit: cum utrisque enim ea quam comicus ibi pingit mulierum civitas optime convenit. Itaque potius credo istam narrationem inventam esse ab aliquo Crantoris aequalium, quo ratio dari posset, cur Plato in Timaeo priscis Atheniensibus tribuat ea instituta quae Aegyptiorum propria haberentur quaeque ipse pro parte in Πολιτείαν recepisset.

Ceterum ex his apparet, non deesse quidem in Platonis libris vestigia unde effici vel fingi licuerit eum Orientem adiisse, certa tamen huius peregrinationis indicia in scriptis eius non exstare. Quod autem ad testimonia attinet quae modo recensui, si perpendimus, primum, testem antiquum et locupletem de Aegyptio itinere non exstare, deinde, seriores qui de eo referunt quo longius a Platonis tempore distant, eo copiosius et disertius de his loqui, ea vero partim non convenientia esse partim fictitia et inepta, Epistolam autem, cuius scriptor certe antiquissimus testis est, ita de hoc itinere silere, ut illud penitus ignorasse videatur: inde profecto colligere licet, quaecumque de ea re traduntur

fama niti, qua sensim crescente res pedetentim auctas et amplificatas in historiam permanasse.

Si tamen receptae famae non omnem denegare fidem volumus, statuendum erit, Platonis commorationem in Aegypto nec tam diuturnam fuisse nec tantum habuisse ad ingenium eius et doctrinam excolendam momenti ut vulgo creditum est. [1])

Iter Cyrenen. Huius itineris a ceteris scriptoribus, exceptis Diogene et Apuleio (supra p. 165), nulla fit mentio, quod tamen ad fidem rei labefactandam non valet. Quum enim ceteri auctores, Cicero, Quinctilianus, [2]) Olympiodorus, ea tantum itinera commemorent e quibus Plato plurimum ad philosophiam profecisset, ad Pythagoreos in Italiam et in Aegyptum ad sacerdotes consulendos, licuit iis Cyrenaicum illud iter, aeque ac Megarense, ut minoris momenti omittere. Ceterum commorationem eius Cyrenae non sejungendam esse a profectione in Aegyptum, ut Laërtius facit, probabilis sane est plerorumque opinio. Atque ambo itinera tam arcte cohaerere videntur, ut, Aegyptiaci fide stabilita, de Cyrenaico non magnopere dubitandum sit. Quod autem nonnulli opinantur, Platonem Cyrenen petiisse ut a Theodoro geometriam disceret, plus huic itineri tribuunt momenti quam aequum est: non enim credibile, geo-

1) Ceterum lectu digna sunt quae de hoc itinere disserit Hermann. ll. p. 51—58.

2) Quinctilianus de Megarensi et Cyrenaico itinere nihil quidquam memorat; quare parum accurate Ueberweg l. l. sic loquitur, p. 127: „Dagegen lässt Quinctilian Inst. Or. I, 12, und ebenso Diogenes III, 6, die erste Reise von Megara aus nach Cyrene gerichtet sein.“

metriam Athenis ita neglectam fuisse ut propterea Cyrenen migrare necesse esset; ipse Theodorus antequam illuc habitatum cessit, Athenis hanc artem tradidisse perhibetur. Vid. Hermann p. 110, not. 101.

Itinera in Italiam. Secundum Epistolam Plato primum profectus est in Italiam, quo tempore patriae mores pertaesus quadragenarius Athenas reliquit; hinc trajecit in Siciliam (Ep. VII, p. 326 B. [1]) Iterum in Italiam contendit, quum ab altera profectione in Siciliam domum reverteretur, qua occasione Tarentum divertisse ibique amicitiam junxisse dicitur cum Archyta aliisque Pythagoreis. Ibid. p. 338 C: *ἐγὼ γὰρ πρὶν ἀπιέναι ξενίαν καὶ Φιλίαν Ἀρχύτῃ καὶ τοῖς ἐν Τάραντι καὶ Διονυσίῳ ποιήσας ἀπέπλεον.* Cum his dictis contendamus quae ceteri scriptores de hoc itinere narrarunt.

Nepos, Dion. c. 2, scribit Platonem in Italiam profectum Tarentum venisse, inde arcessitum a Dione Syracusas transiisse. Cicero quoque locis supra laudatis (p. 167) adventum in Italiam et in Siciliam conjungit et diserte testatur eum Tarentum venisse „ut Pythagorae inventa perdisceret, eumque et cum Archyta Tarentino et cum Timaeo Locro multum fuisse et Philolai commentarios esse nactum; quumque eo tempore in his locis Pythagorae nomen vigeret, illum se et hominibus Pythagoreis et studiis illis dedisse." Secundum Apuleium (supra p. 165) bis profectus est in Italiam ut Pythago-

1) Etiam Plutarchus dicit Platonem *ἐξ Ἰταλίας εἰς Συρακούσας* venisse; sed huius testimonii ratio habenda non est, quia auctorem sequitur Epistolam. Vid. Vit. Dion. c. 4.

rae disciplinam cognosceret: primum mortuo Socrate, iterum postea, Eurytum Tarentinum et seniorem Archytam sectatus. Horum posterius iter quadraret cum secundo eius adventu in Siciliam. Denique Laërtius (supra p. 166) eum in Italia cum Pythagoreis Philolao et Euryto congressum esse testatur.

Collatis his testimoniis videmus omnes in hoc consentire, Platonem ad Pythagoreos audiendos in Italiam profectum esse; plerique Tarentum adiisse dicunt, Cicero etiam Locros addit. De philosophis autem quos ibi audierit variant. Ex his de solo Archyta omnes conveniunt; Philolaus dudum erat mortuus; melius convenit Eurytus, qui Philolai discipulus fuisse perhibetur; de Platonis consuetudine cum Timaeo in ipsius dialogo exstat memoria; Echecrates notus e Phaedone; Acrionis non nisi nomen ad nos pervenit. [1])

Est autem locus Ciceronis, de Senect. c. 12, e quo nonnulli tempus huius itineris definiri posse putarunt. [2]) Ibi, memorato Archytae sermone, haec addit: „Haec cum C. Pontio Samnite, patre eius, a quo Caudino proelio Sp. Postumius T. Veturius consules superati sunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus... se a maioribus natu accepisse dicebat, quum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis; quem Tarentum venisse L. Camillo Appio Claudio Coss. reperio." In consulum nominibus manifestus est error, siquidem hi consules

1) *Acrionis* nomen alibi non memoratur; pro hoc legendum probabiliter *Acron*, qui Agrigenti floruit tempore belli Peloponnesiaci et amicus fuit Empedoclis. Scripsit de medicina. Vid. Laërt. VIII, 65.

2) Vid. Corsini, de natali die Plat. in Symb. Liter. Vol. VI, p. 197.

metriam Athenis ita neglectam fuisse ut propterea Cyrenen migrare necesse esset; ipse Theodorus antequam illuc habitatum cessit, Athenis hanc artem tradidisse perhibetur. Vid. Hermann p. 110, not. 101.

Itinera in Italiam. Secundum Epistolam Plato primum profectus est in Italiam, quo tempore patriae mores pertaesus quadragenarius Athenas reliquit; hinc trajecit in Siciliam (Ep. VII, p. 326 B. [1]) Iterum in Italiam contendit, quum ab altera profectione in Siciliam domum reverteretur, qua occasione Tarentum divertisse ibique amicitiam junxisse dicitur cum Archyta aliisque Pythagoreis. Ibid. p. 338 C: *ἐγὼ γὰρ πρὶν ἀπιέναι ξενίαν καὶ φιλίαν Ἀρχύτῃ καὶ τοῖς ἐν Τάραντι καὶ Διονυσίῳ ποιήσας ἀπέπλεον.* Cum his dictis contendamus quae ceteri scriptores de hoc itinere narrarunt.

Nepos, Dion. c. 2, scribit Platonem in Italiam profectum Tarentum venisse, inde arcessitum a Dione Syracusas transiisse. Cicero quoque locis supra laudatis (p. 167) adventum in Italiam et in Siciliam conjungit et diserte testatur eum Tarentum venisse „ut Pythagorae inventa perdisceret, eumque et cum Archyta Tarentino et cum Timaeo Locro multum fuisse et Philolai commentarios esse nactum; quumque eo tempore in his locis Pythagorae nomen vigeret, illum se et hominibus Pythagoreis et studiis illis dedisse." Secundum Apuleium (supra p. 165) bis profectus est in Italiam ut Pythago-

1) Etiam Plutarchus dicit Platonem ἐξ Ἰταλίας εἰς Συρακούσας venisse; sed huius testimonii ratio habenda non est, quia auctorem sequitur Epistolam. Vid. Vit. Dion. c. 4.

rae disciplinam cognosceret: primum mortuo Socrate, iterum postea, Eurytum Tarentinum et seniorem Archytam sectatus. Horum posterius iter quadraret cum secundo eius adventu in Siciliam. Denique Laërtius (supra p. 166) eum in Italia cum Pythagoreis Philolao et Euryto congressum esse testatur.

Collatis his testimoniis videmus omnes in hoc consentire, Platonem ad Pythagoreos audiendos in Italiam profectum esse; plerique Tarentum adiisse dicunt, Cicero etiam Locros addit. De philosophis autem quos ibi audierit variant. Ex his de solo Archyta omnes conveniunt; Philolaus dudum erat mortuus; melius convenit Eurytus, qui Philolai discipulus fuisse perhibetur; de Platonis consuetudine cum Timaeo in ipsius dialogo exstat memoria; Echecrates notus e Phaedone; Acrionis non nisi nomen ad nos pervenit. [1])

Est autem locus Ciceronis, de Senect. c. 12, e quo nonnulli tempus huius itineris definiri posse putarunt. [2]) Ibi, memorato Archytae sermone, haec addit: „Haec cum C. Pontio Samnite, patre eius, a quo Caudino proelio Sp. Postumius T. Veturius consules superati sunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus ... se a maioribus natu accepisse dicebat, quum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis; quem Tarentum venisse L. Camillo Appio Claudio Coss. reperio." In consulum nominibus manifestus est error, siquidem hi consules

1) *Acrionis* nomen alibi non memoratur; pro hoc legendum probabiliter *Acron*, qui Agrigenti floruit tempore belli Peloponnesiaci et amicus fuit Empedoclis. Scripsit de medicina. Vid. Laërt. VIII, 65.

2) Vid. Corsini, de natali die Plat. in Symb. Liter. Vol. VI, p. 197.

fuerunt a. U. 408, a. C. 348, quo ipso anno aut proximo Plato diem obiit. Quod ad Pontium attinet, qui proelio Caudino senex fuit „gravis annis" (Liv. IX, 3), si ponimus eum a. a. C. 321, quo pugnatum est ad furculas Caudinas, sexaginta quinque annos natum fuisse, Platonem iterum Tarenti degentem, circa annum 365 a. C. videre ibi potuit,[1]) adolescens viginti annorum. Credibile tamen totam hanc narrationem esse fictionem, cujusmodi plures antiquitus ferebantur; consulum nomina si a Cicerone addita sunt, aliud certe agens Attici Annales inspexit. Ceterum cum ex hac narratiuncula tum e scriptorum dissensione, quam modo attigi, apparet, etiam in hoc itinere ad Tarentinos multa ficta aut fama aucta esse.

Disquisitionis summa huc redit. Quaecumque, exceptis itineribus in Italiam et Siciliam, de longinqua Platonis peregrinatione narrantur, ea cum Epistolis, praecipue VII et III, non concordare, atque si diversorum testium auctoritas ponderatur, Epistolas antiquitate certe ceteris antestare; quod mortuo Socrate Megaram concessisse dicitur, id, si tamen verum est, potius fuisse digressionem quam commorationem; quae de profectione in Aegyptum et Cyrenen et de commercio cum doctis et sacerdotibus Hieropolitanis tradita sunt, valde incerta esse, ac, nisi ficta sunt, fama certe supra fidem crevisse; denique si non omnem fidem itineribus illis negandam putamus, certe non de longa peregrinatione cogitandum esse, sed de brevis temporis excessu, quem Epistolae scriptori silentio praeterire licuerit.

1) Archytas diem obiit a. 365: itaque alter Platonis adventus Tarentum ante hoc tempus locum habere debuit.

CAPUT VIII.

DE PLATONIS DOCTRINA ET PLACITIS QUAE IN EPISTOLIS EXPONUNTUR.

---

§ 1.

Doctrina περὶ ἐπιστήμης.

Postquam exploravimus, quae sit Epistolarum fides et diligentia in rebus historicis, nunc ad philosophiae doctrinam attendere juvat et quaerere, quatenus haec Platonicae philosophiae respondeat. Plenae quidem sunt Epistolae, praecipue VII[a], sententiis et placitis e Platone expressis, ut supra passim notavi; his tamen non continetur philosophiae doctrina. Quo melius de hoc judicare liceat, illustrem elegi locum, qui exstat in Epistola VII, p. 342 sqq., in quo disseritur de *cognitione*, quam disputationem excutere et cum Platonis de hoc argumento doctrina comparare lubet. Locum satis obscurum paulo emendatius et distinctius quam vulgo editur describam et latine interpretabor.

Περὶ ἐπιστήμης.

p. 342. Ἔστι τῶν ὄντων ἑκάστῳ, δι᾽ ὧν τὴν ἐπιστήμην ἀνάγκη παραγίγνεσθαι, τρία, τέταρτον δ᾽ αὐτή, πέμπτον δ᾽ αὐτὸ τιθέναι
B δεῖ ὃ δὴ γνωστόν τε καὶ ἀληθές ἐστιν· ὧν ἓν μὲν ὄνομα, δεύτερον δὲ λόγος, τὸ δὲ τρίτον εἴδωλον, τέταρτον δ᾽ ἐπιστήμη. περὶ ἓν οὖν λαβέ, βουλόμενος μαθεῖν τὸ νῦν λεγόμενον, καὶ πάντων οὕτω πέρι νόησον. κύκλος ἐστί τι λεγόμενον, ᾧ τοῦτ᾽ αὐτ᾽ ἐστιν ὄνομα ὃ νῦν ἐφθέγμεθα. λόγος δ᾽ αὐτοῦ τὸ δεύτερον, ἐξ ὀνομάτων καὶ ῥημάτων συγκείμενος· τὸ γὰρ ἐκ τῶν ἐσχάτων ἐπὶ τὸ μέσον ἴσον ἀπέχον πάντῃ, λόγος ἂν εἴη ἐκείνου ᾧπερ στρογγύλον καὶ περιφερὲς ὄνομα
C καὶ κύκλος. τρίτον δὲ τὸ ζωγραφούμενόν τε καὶ ἐξαλειφόμενον καὶ τορνευόμενον καὶ ἀπολλύμενον [1]), ὧν αὐτὸς ὁ κύκλος, ὃν πέρι πάντ᾽ ἐστὶ ταῦτα, οὐδὲν πάσχει, τούτων ὡς ἕτερον ὄν. τέταρτον δ᾽ ἐπιστήμη καὶ νοῦς ἀληθής τε δόξα περὶ ταῦτ᾽ ἐστίν· ὡς δὲ ἓν τοῦτ᾽ αὖ πᾶν θετέον, οὐκ ἐν φωναῖς οὐδ᾽ ἐν σωμάτων σχήμασιν, ἀλλ᾽ ἐν ψυχαῖς ἐνόν, ᾧ δῆλον ἕτερόν τ᾽ ὂν αὐτοῦ τοῦ κύκλου τῆς φύσεως τῶν τ᾽ ἔμπροσθεν
D λεχθέντων τριῶν. τούτων δ᾽ ἐγγύτατα μὲν ξυγγενείᾳ καὶ ὁμοιότητι τοῦ πέμπτου νοῦς πεπλησίακε, τἆλλα δὲ πλέον ἀπέχει. ταὐτὸν δὴ περί τ᾽ εὐθέος ἅμα καὶ περιφεροῦς σχήματος καὶ χρόας, περί τ᾽ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ καὶ δικαίου, καὶ περὶ σώματος ἅπαντος σκευαστοῦ τε καὶ κατὰ φύσιν γεγονότος, πυρὸς ὕδατός τε καὶ τῶν τοιούτων πάντων, καὶ ζῴου

1) Pro his legendum conjicio, quod in versione dedi, mutato verborum ordine: τὸ ζωγραφούμενον καὶ τορνευόμενον καὶ ἐξαλειφόμενόν τε καὶ

De scientia.

In qualibet re tria sunt, per quae necesse est scientiam parari: quartum est ipsa [scientia]; quintum autem illud ponendum, quod noscibile atque verum est. Horum unum est nomen, alterum definitio, tertium simulacrum, scientia quartum. De uno igitur disce, si quod nunc dico intelligere cupis, deque omnibus similiter arbitrare. Est aliquid quod circulus vocatur, cui id ipsum nomen est quod modo nuncupabamus. Alterum est eius definitio, e nominibus et verbis composita: quod enim ab extremis ad medium aequaliter undequaque distat, definitio est eius quod rotundi et circumacti et circuli nomine designamus. Tertium est figura picta vel tornata, delebilis et caduca: quorum in ipsum circulum, ad quem haec omnia spectant, nihil cadit, utpote ab his diversum. Quartum autem circa haec est scientia et mens et vera opinio; quod omne rursus tamquam unum statuendum, non in vocibus nec in corporum figuris situm, sed in animis: quo manifestum fit, diversum illud esse ab ipsius circuli natura, diversum item a tribus illis supra dictis. Horum autem cognatione et similitudine proxime ad quintum accedit mens; cetera remotiora sunt. Iam idem [dici potest] de recta et curva figura et de colore, deque bono et pulchro et iusto, atque de quolibet corpore vel manu facto vel natura generato, de igni, aqua ceterisque

---

ἀπολλύμενον. Ita mox p. 343 A junguntur γραφομένων ἢ καὶ τορνευθέντων.

ξύμπαντος πέρι καὶ ἐν ψυχαῖς ἤθους, καὶ περὶ ποιήματα
E καὶ παθήματα ξύμπαντα. οὐ γάρ, ἂν τούτων μή τις τὰ
τέτταρα λάβῃ ἀμωσγέπως, οὔποτε τελέως ἐπιστήμης τοῦ
πέμπτου μέτοχος ἔσται. πρὸς γὰρ τούτοις ταῦτ'[1] οὐχ ἧττον
ἐπιχειρεῖ τὸ ποῖόν τι περὶ ἕκαστον δηλοῦν ἢ τὸ ὂν ἑκάστου
p. 343. διὰ τὸ τῶν λόγων ἀσθενές. ὧν ἕνεκα νοῦν ἔχων οὐδεὶς τολ-
μήσει ποτ' εἰς αὐτὸ τιθέναι τὰ νενοημένα ὑπ' αὐτοῦ, καὶ
ταῦτ' εἰς ἀμετακίνητον,[2] ὃ δὴ πάσχει τὰ γεγραμμένα
τύποις. τοῦτο δὲ πάλιν αὖ τὸ νῦν λεγόμενον δεῖ μαθεῖν.
κύκλος ἕκαστος τῶν ἐν ταῖς πράξεσι[3] γραφομένων ἢ καὶ τορ-
νευθέντων μεστὸς τοῦ ἐναντίου ἐστὶ τῷ πέμπτῳ· τοῦ γὰρ
εὐθέος ἐφάπτεται πάντῃ· αὐτὸς δέ, φαμέν, ὁ κύκλος οὔτε
τι σμικρότερον οὔτε μεῖζον τῆς ἐναντίας ἔχει ἐν αὑτῷ φύ-
σεως. ὄνομά τ' αὐτῶν φαμὲν οὐδὲν οὐδενὶ βέβαιον εἶναι·
B κωλύει[4] δ' οὐδὲν τὰ νῦν στρογγύλα καλούμενα εὐθέα κε-
κλῆσθαι, τά τ' εὐθέα δὴ στρογγύλα, καὶ οὐδὲν ἧττον βε-
βαίως ἕξειν τοῖς μεταθεμένοις καὶ ἐναντίως καλοῦσι. καὶ μὴν
περὶ λόγου γ' ὁ αὐτὸς λόγος, εἴπερ ἐξ ὀνομάτων καὶ ῥημά-
των σύγκειται, μηδὲν ἱκανῶς βέβαιον εἶναι.[5] μυρίος δὲ λόγος
αὖ περὶ ἑκάστου τῶν τεττάρων, ὡς ἀσαφές· τὸ δὲ μέγιστον,
ὅπερ εἴπομεν ὀλίγον ἔμπροσθεν, ὅτι δυοῖν ὄντοιν, τοῦ τ' ὄντος
C καὶ τοῦ ποιοῦ τινός, οὐ τὸ ποῖόν τι, τὸ δὲ τί ζητούσης εἰ-
δέναι τῆς ψυχῆς, τὸ μὴ ζητούμενον ἕκαστον τῶν τεττάρων

---

1) In his verbis, πρὸς γὰρ τούτοις ταῦτ', vitium inhaerere videtur. Commodam medelam non video.

2) Nonnulli libri εὐμετακίνητον. Alteram lectionem praetuli; respicit locum e Phaedro, p. 275 D, quem infra dabo, p. 204 sq.

3) Mire dictum κύκλος τῶν ἐν ταῖς πράξεσι pro circulo manu facto vel

huius generis, et de omni animante et de animorum indole et de omnibus quae facimus ac patimur. Nisi enim in his illa quatuor quodammodo quis teneat, nunquam perfecte quinti scientiae particeps erit. Ad haec enim illa non minus qualitatem et speciem cuiusque rei quam essentiam et vim ostendere conantur propter rationum debilitatem. Quapropter nemo mentis compos audebit unquam in has includere cogitata, immutabilem praesertim in formam, cuiusmodi sunt quae literis notantur. Hoc autem quod nunc dixi rursus est considerandum. Quilibet circulus, quales in vitae usu adhibentur, vel pictus vel torno factus, multa habet quinto contraria: undequaque enim recti particeps est; ipsum vero circulum fatemur nihil nec plus nec minus in se habere naturae ipsi contrariae. Nomen quoque cuiusquam istorum ullum firmum esse negamus: nihil enim vetat recta vocari quae nunc rotunda nominamus rotundaque quae recta, neque minus firma ea fore nominibus in contrarium mutatis. Eadem quoque definitionis ratio est, quia ex nominibus et verbis est composita, ut nihil istorum satis habeat firmitatis. Infinita rursus documenta probant illorum quatuor nullum esse certum; maximum vero est, quod paulo ante dicebamus, quod, quoniam duo sunt, essentia et qualitas, quum animus non quale quid sit sed quid sit scire quaerat, nisi illorum quatuor unum-

---

delineato: factum est ad imitationem Platonis Phaedri, Vid infra p. 200.

4) Vulgo *κωλύειν*.

5) Vulgo: *ἱκανῶς βεβαίως εἶναι βέβαιον*. Ejeci *βεβαίως*, quod videtur

προτεινόμενον[1]) *τῇ ψυχῇ λόγῳ τε καὶ κατ᾿ ἔργα αἰσθήσεσιν,*
εὐέλεγκτον τό τε λεγόμενον καὶ δεικνύμενον ἀεὶ παρεχόμενον
ἕκαστον, ἀπορίας τε καὶ ἀσαφείας ἐμπίμπλησι πάσης, ὡς
ἔπος εἰπεῖν, πάντ᾿ ἄνδρα. ἐν οἷσι μὲν οὖν μηδ᾿ εἰθισμένοι
τἀληθὲς ζητεῖν ἐσμὲν ὑπὸ πονηρᾶς τροφῆς, ἐξαρκεῖ δὲ τὸ
προταθὲν τῶν εἰδώλων, εὐκαταγέλαστοι[2]) *γιγνόμεθα ὑπ᾿ ἀλ-*
D *λήλων, οἱ ἐρωτώμενοι ὑπὸ τῶν ἐρωτώντων, δυναμένων δὲ τὰ*
τέτταρα διαῤῥίπτειν τε καὶ ἐλέγχειν· ἐν οἷς δ᾿ ἂν τὸ πέμ-
πτον ἀποκρίνασθαι καὶ δηλοῦν ἀναγκάζωμεν, ὁ βουλόμενος τῶν
δυναμένων ἀνατρέπειν κρατεῖ, καὶ ποιεῖ τὸν ἐξηγούμενον ἐν
λόγοις ἢ γράμμασιν ἢ ἀποκρίσεσι τοῖς πολλοῖς τῶν ἀκουόν-
των δοκεῖν μηδὲν γιγνώσκειν ὧν ἂν ἐπιχειρῇ γράφειν ἢ λέ-
γειν, ἀγνοούντων ἐνίοτε ὡς οὐχ ἡ ψυχὴ τοῦ γράψαντος ἢ
E *λέξαντος ἐλέγχεται, ἀλλ᾿ ἡ τῶν τεττάρων φύσις ἑκάστου*
πεφυκυῖα φαύλως.[3]) *ἡ δὲ διὰ πάντων αὐτῶν διαγωγή, ἄνω*
καὶ κάτω μεταβαίνουσα ἐφ᾿ ἕκαστον, μόγις ἐπιστήμην ἐνέ-
τεκεν εὖ πεφυκότος εὖ πεφυκότι· κακῶς δ᾿ ἂν φυῇ, ὡς ἡ
τῶν πολλῶν ἕξις τῆς ψυχῆς εἴς τε τὸ μαθεῖν εἴς τε τὰ
p. 344. *λεγόμενα ἤθη πέφυκε, τὰ δὲ διέφθαρται, οὐδ᾿ ἂν ὁ Λυγ-*

---

esse nil nisi varia lectio v. *βέβαιον* (sicut p. 342 B pro *ἀληθὲς* nonnulli libri *ἀληθῶς*), quae deinde in textum illata sit.

1) Junge: *τὸ τῶν τεττάρων ἕκαστον, προτεινόμενυν τῇ ψυχῇ, μὴ ζητούμενον λόγῳ τε καὶ αἰσθήσεσι.* Ceterum pro *προτεινόμενον* libri alii *προτεῖνον* alii *πρότερον*; posterius videtur esse a correctoris manu. *προτεῖνον* sic vertunt (ed. Didot.): „dum animo non id quod sciscitatur ostendit tum verbis tum rebus." Quae versio nec verbis nec sensui respondet. Correxi *προτεινόμενον*. Similiter mox *προταθέν*, pro quo libri nonnulli male *προτεθέν*. Nostro loco simillimus est qui legitur de Rep. VII, p. 525 D: *ἐάν τις αὐτῇ (τῇ ψυχῇ) ὁρατὰ ἢ ἁπτὰ σώματα ἔχοντας ἀριθμοὺς προτεινόμενος διαλέγηται.* Cf. de Legg. X, p. 895 D.

quodque, quod animo offertur, exploretur et ratione et per rerum experientiam sensibus, quidquid dicitur vel ostenditur facile redarguendum se praebet, eoque omnes omni, ut ita dicam, ambiguitate et obscuritate implet. In quibus igitur non assueti sumus ob pravam institutionem verum investigare, sed oblatis rerum simulacris contenti sumus, facile ludificamur invicem interrogati ab interrogantibus, quibus facultas sit quatuor illa discutiendi et arguendi. Ubi vero in respondendo quintum illud explicare necesse est, quicumque disceptandi peritus [adversarium] subvertere velit, vincit efficitque ut is, qui oratione vel literis vel responsione rem explicare velit, plerisque audientium nihil eorum quae dicere vel scribere aggreditur intelligere videatur: quos interdum fugit, non naturam cuiusque quatuor illorum, sed potius animum scribentis vel loquentis argui, male se habentem. Discursus vero per omnia illa sursum deorsum, singula deinceps explorans, vix tandem scientiam gignit sinceram in animo sincero; at si quis mala indole sit praeditus, cuiusmodi est plerorumque animi indoles tam ad doctrinam quam ad mores, partim etiam si (institutione) depravatus sit, eiusmodi ingenia ne Lynceus quidem ut cernant efficere posset. Ut summatim dicam, qui rei ipsi [de qua quaeritur] non cognatus sit, eum nec

2) Vulgo *οὐ καταγέλαστοι*, quod si servatur, enuntiatum per interrogationem efferendum est.

3) Verba sic transponenda arbitror, ut latine dedi: *οὐχ ἡ τῶν τεττάρων φύσις ἑκάστου ἐλέγχεται, ἀλλ' ἡ ψυχὴ τοῦ γράψ. ἢ λέξ. πεφ. φαύλως.* Nam si imperiti a peritis redarguuntur, causa est non in re, sed in hominum inscitia.

κεὺς ἰδεῖν ποιήσειε τοὺς τοιούτους· ἑνὶ δὲ λόγῳ, τὸν μὴ ξυγγενῆ τοῦ πράγματος οὔτ' ἂν εὐμαθία [1]) ποιήσειέ ποτ' οὔτε μνήμη, τὴν ἀρχὴν γὰρ ἐν ἀλλοτρίαις ἕξεσιν οὐκ ἐγγίγνεται. ὥσθ' ὁπόσοι τῶν δικαίων τε καὶ τῶν ἄλλων ὅσα καλὰ μὴ προσφυεῖς εἰσὶ καὶ ξυγγενεῖς, ἄλλοι δ' ἄλλων εὐμαθεῖς ἅμα καὶ μνήμονες, οὐδ' ὅσοι ξυγγενεῖς, δυσμαθεῖς δὲ καὶ ἀμνήμονες, οὐδένες τούτων μήποτε μάθωσιν ἀλήθειαν
B ἀρετῆς εἰς τὸ δυνατὸν οὐδὲ κακίας· ἅμα γὰρ αὐτὰ ἀνάγκη μανθάνειν καὶ τὸ ψεῦδος [2]) ἅμα καὶ ἀληθὲς τῆς ὅλης οὐσίας μετὰ τριβῆς πάσης καὶ χρόνου πολλοῦ, ὅπερ ἐν ἀρχαῖς εἶπον· μόγις δέ, τριβόμενα πρὸς ἄλληλα αὐτῶν ἕκαστα, ὀνόματα καὶ λόγοι, ὄψεις τε καὶ αἰσθήσεις, ἐν εὐμενέσιν ἐλέγχοις ἐλεγχόμενα καὶ ἄνευ φθόνων ἐρωτήσεσι καὶ ἀποκρίσεσι χρωμένων, ἐξέλαμψε φρόνησις περὶ ἕκαστον καὶ
C νοῦς, συντείνων ὅτι μάλιστ' εἰς δύναμιν ἀνθρωπίνην. διὸ δὴ πᾶς ἀνὴρ σπουδαῖος τῶν ὄντων σπουδαίων πέρι πολλοῦ δεῖ μὴ γράψας ποτ' ἐν ἀνθρώποις εἰς φθόνον καὶ ἀπορίαν καταβαλεῖ. ἑνὶ δὴ ἐκ τούτων δεῖ γιγνώσκειν λόγῳ, ὅταν ἴδῃ τίς του ξυγγράμματα γεγραμμένα εἴτ' ἐν νόμοις νομοθέτου εἴτ' ἐν ἄλλοις τισὶν ἅττ' οὖν, ὡς οὐκ ἦν τούτῳ ταῦτα σπουδαιότατα, εἴπερ ἐστὶν αὐτὸς σπουδαῖος, κεῖται δ' οὐκ [3]) ἐν χώρᾳ τῇ καλλίστῃ τῶν τούτου· εἰ δ' ὄντως αὐτῷ ταῦτ' ἐσπου-
D δασμένα ἐν γράμμασιν ἐτέθη, ἐξ ἄρα δή οἱ ἔπειτα θεοὶ μὲν οὔ, βροτοὶ δὲ φρένας ὤλεσαν αὐτοί.

---

1) Post v. εὐμαθία excidisse puto verbum μαθεῖν, quod sensus postulat.

2) Pro τὸ ψεῦδος etc. hic rectius scribatur: τὸ ψευδὲς ἅμα καὶ τἀληθές. At in talibus crebro peccant Epistolae.

3) Vulgo κεῖται δέ που, quod sensui plane contrarium est; itaque pro

docilitas nec memoria unquam [gnarum] efficiet: etenim in aliena indole omnino non gignitur [scientia]. Quamobrem quicunque justitiae ceterisque honestis artibus non sint natura apti et cognati, licet ingeniosi sint et memores ad aliud alius, aut qui cognati quidem sint, sed hebetes et memoria parum valentes, horum nullis unquam continget noscere veritatem, quoad licet, vel virtutis vel vitii: necesse enim est simul et illa perdiscere et verum ac falsum totius rerum naturae omni studio et longo usu nosse, sicut initio dixi. Nam non nisi multo labore, collatis invicem et quasi tritis inter se singulis, nominibus et definitionibus, visis et sensibus, benignaque disceptatione probatis. absque invidia interrogantium et respondentium, effulget circa unumquodque scientia et intellectus, concordans quam maxime potest pro humana facultate. Quamobrem multum abest, ut vir gravis gravibus et seriis de rebus scribens se suaque invidiae captionibusque hominum objiciat. Ad summam intelligere ex his licet, quando quis scripta alicuius cernat sive legislatoris de legibus sive [aliorum] de aliis quibuslibet rebus, ea non pro seriis ipsi esse habita, si saltem sit vir frugi et gravis, sed infimum locum apud eum obtinere; sin autem revera tanquam seria ab eo literis mandata sunt, huic non quidem dii [ut ait poëta], sed mortales mentem eripuerunt.

που correxi οὐκ, nisi quis malit: κεῖται δέ που ἐν χώρᾳ τῇ κακίστῃ. Simili locutione utitur Aristides, Περὶ ῥητορ. Vol. II, p. 145, Dind.: ἐν τῷ καλλίστῳ τοῦ χόρου τάττειν.

Totus hic locus colorem refert Platonicum; concinnatus est Platonicis verbis et dictis, sed ea nec apte cohaerent et a Platonis sententia ac mente aberrant.

Primo dicit: *ἔστι τρία δι' ὧν τὴν ἐπιστήμην ἀνάγκη παραγίγνεσθαι, ὄνομα, λόγος, εἴδωλον.* Initium hoc, unde tota disputatio pendet, descriptum est ipsis paene verbis e libro de Legg. X, p. 895 D, ubi hospes Atheniensis, animi definitionem daturus, disputationem his verbis aggreditur: *Ἆρ' οὐκ ἂν ἐθέλοις περὶ ἕκαστον τρία νοεῖν, ἓν μὲν τὴν οὐσίαν, ἓν δὲ τῆς οὐσίας τὸν λόγον, ἓν δὲ τὸ ὄνομα.* Apparet tamen discrimen: Plato memorat tantum *τῆς οὐσίας ὄνομα* et *λόγον*, non addit *εἴδωλον*. *Ὄνομα* est *nomen* quo res notatur, *λόγος* ***descriptio*** vel ***definitio;*** ambo haec saepe apud Platonem copulata leguntur, ut in Politico, p. 271 C: *καὶ γηγενεῖς δὴ κατὰ τοῦτον τὸν λόγον ἐξ ἀνάγκης φυομένους οὕτως ἔχειν τοὔνομα καὶ τὸν λόγον.* Quid autem est *εἴδωλον*? A nostro vocatur *effigies* seu *figura* rei sub sensum cadens, ut apparet ex exemplo quo utitur *τοῦ κύκλου*, cuius *εἴδωλον* dicit esse *τὸ ζωγραφούμενον καὶ τορνευόμενον καὶ ἐξαλειφόμενόν τε καὶ ἀπολλύμενον*; a Platone autem *εἴδωλα*, i. e. ***simulacra,*** saepe appellantur ea quae sensibus percipiuntur, quippe quae sint quasi *εἰκόνες τῶν ὄντων*, quorum similitudinem vel potius umbram referant. Ita in Phaedr. p. 276 A, *ὁ γεγραμμένος λόγος* vocatur *εἴδωλον τοῦ λόγου ὃς μετ' ἐπιστήμης γράφεται ἐν τῇ τοῦ μανθάνοντος ψυχῇ.* Et in Soph. p. 239 D, quum hospes Eleaticus quaerit quid sint *εἴδωλα*, Theaetetus ita respondet: *δῆλον ὅτι φήσομεν τά τ' ἐν τοῖς ὕδασι καὶ κατόπτροις εἴδωλα, ἔτι καὶ τὰ γεγραμμένα καὶ τὰ τετυπωμένα καὶ τἄλλα ὅσα που τοιαῦτ' ἐστὶν*

ἕτερα. At generatim, ut a nostro, τὰ αἰσθητὰ a Platone hoc vocabulo non designantur.

Si vero ipsum attendimus enuntiatum, „in omnibus rebus esse tria per quae cognoscantur, *nomen*, *definitionem* et *figuram*," fatendum hic dissimilia copulari. Nimirum ὄνομα et λόγος ab hominibus pro arbitrio rebus imposita sunt: nam nihil vetat, ut dicit, τὰ νῦν στρογγύλα καλούμενα εὐθέα κεκλῆσθαι τά τ' εὐθέα δὴ στρογγύλα; εἴδωλον vero est forma ipsis rebus propria, quam mutare homines nequeunt. Praeterea ὄνομα et λόγος sunt cognoscendi instrumentum, εἴδωλον vero est pars eius quod cognoscendum est. Falso autem dicit ἑκάστῳ τῶν ὄντων esse εἴδωλον: nam loquitur non tantum de rebus sensibilibus, sed, ut ipse dicit, περί τ' εὐθέος καὶ περιφεροῦς, περί τ' ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ καὶ δικαίου.... καὶ ζῴου ξύμπαντος πέρι καὶ ἐν ψυχαῖς ἤθους. Num autem justitiae, animi, virtutis sunt εἴδωλα, species sub oculos cadentes?

A tribus his secernitur τὸ ὄν, ὃ δὴ γνωστόν τε καὶ ἀληθές ἐστιν, i. e. ἡ οὐσία, quas ideas appellat Plato; hoc quinto loco ponit et in sequentibus etiam τὸ πέμπτον nominat. Quod autem quartum ponit, medio loco inter priora tria et quintum τὸ ὄν, nempe τὴν ἐπιστήμην, de hoc ita confuse loquitur, ut nescias quid eo intelligatur. Primum dicit, per tria illa quae modo dicta sunt ἐπιστήμην effici; tum ἐπιστήμην idem esse atque νοῦν et ἀληθῆ δόξαν, eaque non in verbis et figuris, h. e. in *nomine*, *definitione* et *effigie*, sed in animis posita esse (οὐκ ἐν φωναῖς οὐδ' ἐν σωμάτων σχήμασιν ἀλλ' ἐν ψυχαῖς ἐνόν), atque ἐπιστήμην et νοῦν proxime cognata esse τῷ ὄντι. Postea rursus τὰ τέτταρα, h. e. ὄνομα, λόγον, εἴδωλον et ἐπιστήμην, opponit τῷ πέμπτῳ, quorum illa fluxa et in-

certa, hoc unum certum esse et stabile dicit: *οὐ γὰρ, ἂν τούτων μή τις τὰ τέτταρα λάβῃ ἀμωσγέπως, οὔποτε τελέως ἐπιστήμης τοῦ πέμπτου μέτοχος ἔσται.* Et paulo inferius: *μύριος δὲ λόγος αὖ περὶ ἑκάστου τῶν τεττάρων ὡς ἀσαφές.* Ergo *ἐπιστήμην* modo *τῷ ὄντι*, h. e. veritati cognatam dicit, modo annumerat iis quae incerta et fallacia sunt. Haec adeo turbata sunt, ut scriptor nescire videatur quid dicat; apparet eum *ἐπιστήμην* vulgarem et *τὴν ἀληθῆ ἐπιστήμην* confudisse.

Quam longe haec distant a Platonis doctrina. Hic res universas distinguit in duo genera, *τὴν οὐσίαν* et *τὴν γένεσιν*, quorum haec res generatas et fluxas (*τὰ αἰσθητά*, *τὰ ὁρώμενα*), illa aeternas et stabiles (*τὰ νοητά*, *τὰ νοούμενα*) complectitur. Rerum fluxarum cognitio, quae sensuum ope paritur, appellatur *δόξα*, quae aeque ac res ad quas pertinet manca est et incerta; opposita huic est *ἐπιστήμη*, scientia rerum quae mente comprehenduntur: haec, ut *οὐσία* ipsa, firma et vera est. Sic quae noster ut similia ponit, *ἐπιστήμη*, *νοῦς* et *ἀληθὴς δόξα*, apud Platonem opposita sibi sunt et contraria. Ipse in Theaeteto, p. 261 C, refutat eos, qui statuebant *ἐπιστήμην* esse *ἀληθῆ δόξαν μετὰ λόγου*, et de eadem quaestione classicus locus est in Timaeo, p. 51 D E, ubi disertis verbis dicit, ambo illa diversa esse et dissimilia: *δύο δὴ λεκτέον ἐκείνω, διότι χωρὶς γεγόνατον ἀνομοίως τ' ἔχετον.* Forsitan noster ad haec conjungenda ductus est loco de Legg. II, p. 653 A: *φρόνησιν δὲ καὶ ἀληθεῖς δόξας βεβαίους, εὐτυχὴς ὅτῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο*, quod dictum retulit Cicero de Fin. V, 21: „Praeclare enim Plato: *Beatum, cui etiam in senectute contigerit ut sapientiam verasque opiniones assequi possit.*" At Plato hic loquitur ex

communi more, non, ut in Epistola, definita et propria verborum significatione utitur.

Haec de principiis quibus secundum epistolam scientia nititur. Ipsam autem disputationem quisquis attente legerit, omnia tam confuse tamque obscure dicta esse fatebitur, ut revera aenigmata loqui scriptor videatur. Exempli gratia nonnulla afferam.

Postquam quinque illa qualia sint explicuit dixitque ea ad omnia tam corporea quam animata pertinere, adjicit haec: *οὐ γὰρ, ἂν τούτων μή τις τὰ τέτταρα λάβῃ ἀμωσγέπως, οὔποτε τελέως ἐπιστήμης τοῦ πέμπτου μέτοχος ἔσται.* Quaenam sunt illa quatuor? Nimirum *ὄνομα, λόγος, εἴδωλον, ἐπιστήμη;* inepte ergo in apodosi *ἐπιστήμης* vocabulum additum est, quod omitti debuit. Poterat sic dicere: *ἂν μή τις τῶν τριῶν ἐπιστήμην λάβῃ ἀμωσγέπως, οὔποτε τελέως ἐπιστήμης τοῦ πέμπτου μέτοχος ἔσται.* Quominus autem sic corrigamus, cavere nos monet quod etiam infra *τὰ τέτταρα* copulantur et *ἐπιστήμη* reliquis tribus tanquam simile annumeratur. Ita p. 343 B: *μυρίος δὲ λόγος περὶ ἑκάστου τῶν τεττάρων ὡς ἀσαφές.* ibid. C: *τὸ μὴ ζητούμενον ἕκαστον τῶν τεττάρων.* ibid. D: *δυναμένων δὲ τὰ τέτταρα διαῤῥίπτειν.*

Deinceps sic pergit p. 342 E: *πρὸς γὰρ τούτοις ταῦτ' οὐχ ἧττον ἐπιχειρεῖ τὸ ποῖόν τι περὶ ἕκαστον δηλοῦν ἢ τὸ ὂν ἑκάστου διὰ τὸ τῶν λόγων ἀσθενές.* Sunt haec aenigmati similia. Quo refertur *πρὸς τούτοις*? Quo autem *ταῦτα*? Qua ratione haec cum praecedente sententia per particulam *γὰρ* connectuntur? Ponamus *ταῦτα* referri ad *τὰ τέτταρα*, sensus hic exibit: „Quatuor illa, nomen, definitio, imago, scientia, non minus tendunt

ad qualitatem cuiusque rei quam ad essentiam declarandam διὰ τὸ τῶν λόγων ἀσθενές, ob judicii imbecillitatem." Quomodo autem in hoc sita esse potest causa ob quam animus distinguat τὸ ποιὸν et τὸ ὂν, quorum illud sensu, hoc ratione noscitur? Id perinde est, opinor, ac si diceres: sensus non solum colorem sed etiam figuram rerum nobis ostendunt ob visus imbecillitatem. Et quomodo cum his cohaeret conclusio: ὧν ἕνεκα νοῦν ἔχων οὐδεὶς τολμήσει ποτ' εἰς αὐτὸ τιθέναι τὰ νενοημένα ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ταῦτ' εἰς ἀμετακίνητον, ὃ δὴ πάσχει τὰ γεγραμμένα τύποις; in quibus illud εἰς αὐτὸ referendum videtur ad τὸ τῶν λόγων ἀσθενές; dicit ergo: „ob has rationes (quasnam?) nemo sapiens audebit cogitata in definitiones, et has in formam immutabilem, h. e. in literas, includere." Videnturne haec esse sani capitis cogitata, an potius delirantis vel praestigiatoris nugae? Dictio τιθέναι εἰς γράμματα, pro *literis notare*, petita est e Cratylo, p. 390 E: οὐ πάντα δημιουργὸν ὀνομάτων εἶναι, ἀλλὰ μόνον τὸν . . . δυνάμενον αὐτοῦ τὸ εἶδος τιθέναι εἴς τε τὰ γράμματα καὶ τὰς συλλαβάς.

In sequentibus ostendit, excepto τοῦ ὄντος cetera omnia, ὄνομα, λόγον, εἴδωλα, obscura esse nec quidquam βέβαιον habere. Quomodo haec congruant cum superioribus, ubi dixit τρία esse δι' ὧν τὴν ἐπιστήμην ἀνάγκη παραγίγνεσθαι, et quam scientiam afferre possit cognitio rerum quae ipsius testimonio nihil habent certi, id non explicat. Ceterum quae dicit de natura ὀνόματος et λόγου e Cratylo hausta sunt, unde etiam definitio λόγου, quod ἐξ ὀνομάτων καὶ ῥημάτων ξύγκειται, depromta est. Vid. Crat. p. 431 B: εἰ δὲ ῥήματα καὶ ὀνόματ' ἔστιν οὕτω τιθέναι, ἀνάγκη καὶ λόγους· λόγοι γάρ που, ὡς ἐγῷμαι, ἡ τούτων

σύνθεσίς ἐστιν. Cf. p. 425 A. B. Soph. p. 263 D. Verum Cratylo sic usus est scriptor, ut quae Platonis fuerit sententia parum perspexisse videatur. Tractatur in eo dialogo quaestio, utrum nomina sint φύσει an θέσει, utrum naturalis sit vocabulorum cum rebus necessitudo, an pro arbitrio rebus sint imposita. Posterius defendit Hermogenes, qui contendit nomina facta esse συνθήκῃ καὶ ὁμολογίᾳ, h. e. θέσει; contrarium placet Cratylo, cui Socrates vel potius Plato assentitur eatenus, quod censet ὄνομα esse πράγματος δήλωμα sive μίμημα συλλαβαῖς καὶ γράμμασιν (p. 433 B. cf. p. 423 E), atque adeo vocabula rite facta ipsarum rerum esse imagines: τὰ δ' ὀνόματα ... ὡμολογήκαμεν τὰ καλῶς κείμενα . . . εἶναι εἰκόνας τῶν πραγμάτων (p. 439 A). Non vero assentitur eidem Cratylo opinanti propterea vocabulorum sive linguae cognitionem viam esse ad rerum scientiam. Jam vero quid noster? Dicit in vocabulis esse nihil βέβαιον, quin οὐδὲν κωλύειν τὰ νῦν στρογγύλα καλούμενα εὐθέα κεκλῆσθαι, τά τ' εὐθέα δὴ στρογγύλα: hoc est plane id ipsum quod contendit Hermogenes, p. 384 D: ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ, ὅ τι ἄν τίς τῳ θῆται ὄνομα, τοῦτ' εἶναι καὶ τὸ ὀρθόν · καὶ ἂν αὖθίς γ' ἕτερον μεταθῆται, ἐκεῖνο δὲ μηκέτι καλῇ, ... οὐδὲν ἧττον τοῦτ' εἶναι ὀρθὸν, τὸ μετατεθὲν, τοῦ πρότερον κειμένου: quam sententiam contra improbat Plato. 1)

Deinceps sequitur in Epistola locus memorabilis, quo docetur omnes qui non rite ἐπιστήμῃ eruditi sint, in cognoscendo et disputando falli. Legitur p. 343 C inde

1) Platonis sententiam subtiliter explicat Dittrich, Proleg. ad Cratyl Lips. 1841, p. 20 et 41 sqq.

a verbis: τὸ δὲ μέγιστον ὅπερ εἴπομεν ὀλίγον ἔμπροσθεν, ὅτι δυοῖν ὄντοιν usque ad haec verba: ἀλλ' ἡ ψυχὴ τοῦ γράψαντος ἢ λέξαντος ἐλέγχεται πεφυκυῖα φαυλῶς. Etiam hic locus verbis et junctura ita impeditus est, ut aegre sensum expisçari possis: ubivis incurris in Platonis vestigia, sed filum et ordinem haud facile cernas. Summa sententiae inanibus nudata verbis et aptius vincta haec est: „Duo sunt rerum genera, τὸ ὂν et τὸ ποῖόν τι. Animus τὸ ὂν anquirens, nisi τῶν τεττάρων ἕκαστον (i. e. τῶν τρίων ἕκαστον, np. ὄνομα, λόγον, εἴδωλον) exploratum habeat tam ratione quam experientia et sensibus, in maxima ambiguitate versatur et caligine. Qui sola rerum εἴδωλα sectantur neque assueti sunt quatuor (tria) illa excutere, in disputando a peritis luduntur; ubi de quinto (de ente) quaeritur, in disserendo a docto quolibet redarguuntur. Indocti autem haec audientes culpam tribuunt non rerum obscuritati, sed disserentis inscitiae." En denuo τὰ τέτταρα et τὸ πέμπτον: idem lusus in usurpandis numeris, cuius supra jam plura ex hac epistola exempla attuli (vid. p. 35). Etiam Plato habet istiusmodi partitiones numeris notatas, ut in Phileb. p. 66. de Legg. II, p. 690 A, 696 E; V, p. 728 D, 733 C, 741 D; verum noster ita argutatur ut pro ipsis rerum vocabulis numeros ponat, quasi in his abdita quaedam significatio insit.

Ceterum haec et quae deinceps disputantur usque ad verba p. 344 B, ἐξέλαμψε φρόνησις περὶ ἕκαστον καὶ νοῦς, ξυντείνων ὅτι μάλιστ' εἰς δύναμιν ἀνθρωπίνην, spectant ad dialecticam; quibus ostenditur, eos qui rudes sint eius disciplinae a peritis facile falli et ludibrio haberi, contra qui rite hac arte instructi et exercitati veritatem anquirant, his postremo scientiae lumen affulgere. Jam de

hac disciplina quae Epistolographus dicit cum Platonis doctrina de dialectica comparemus.

Scriptor noster duo distinguit genera, *τὸ ὄν*, quod etiam *τὸ τί* appellat, et *τὸ ποῖόν τι*, quorum altero res sensibus subjectas significat, altero rerum ideas. A Platone autem hoc sensu ista vocabula non usurpantur: distinguit ille quidem aliquando *ποιά ἄττα* et *αὐθ' ἕκαστα* sic ut *genus* et *speciem:* velut *τέχνη αὐτή* complectitur omnes artes, *τέχνη τις* sive *ποιά τις* est una e multis, velut *οἰκοδομική* (de Rep. IV, p. 438); non vero generatim his verbis utitur tanquam formulis sive categoriis quibus *τὰ νοητά* et *τὰ αἰσθητά* desiguentur. Id primus fecit Aristoteles, Metaph. IV, 28: *τὸ εἶδος καὶ ἡ ὕλη ἕτερον τῷ γένει, καὶ ὅσα καθ' ἕτερον σχῆμα κατηγορίας τοῦ ὄντος λέγεται, τὰ μὲν γὰρ τί ἐστι σημαίνει τῶν ὄντων, τὰ δὲ ποῖόν τι* Ceterum Aristoteles semper dicit *τὸ τί ἐστι*, vel *τὸ τὶ ἦν εἶναι*, numquam simpliciter ut noster *τὸ τί.* [1]) Plato, ut ante vidimus, duo illa genera appellat *τὰ ὄντα* et *τὰ γεννητά*, *τὸ ἕν* et *τὰ πολλά* aliisque nominibus.

Porro philosophia versatur in cognitione *τῶν ὄντων*, ad quam cognitionem dux est dialectica. Quale autem est secundum Platonem dialectices munus? Hoc positum est maxime in *διαιρέσει* et *ξυναγωγῇ*, ut in Phaedro docet, p. 265 E—266 B. [2]) Quum per universum pateant haec duo, *τὸ ἕν* et *τὰ πολλά*, *unitas* et *varietas*, dialectices munus est *τὸ κατὰ γένη διαιρεῖσθαι* atque demon-

---

1) Vid. Trendelenburg, Gesch. d. Kategorienlehre. Berl. 1846. p. 34—52

2) Cf. van Heusde, Init. Phil. Platon. II. Pars II, p. 101.

strare *ποῖα ποίοις ξυμφωνεῖ, καὶ ποῖ' ἄλληλα οὐ δέχεται*, h. e. quae sit generum et notionum inter se convenientia et differentia. Ut paucis dicam, dialecticus est secundum Platonem qui valeat *μίαν ἰδέαν διὰ πολλῶν τεταμένην* et contra *πολλὰς ὑπὸ μιᾶς περιεχομένας* dilucide cernere (Soph. p. 253 B—D). Idem argumentum declarat exemplo *τοῦ ἀγαθοῦ* sive ideae boni, de Rep. VII p. 534, unde haec excerpere lubet: *ὃς ἂν μὴ ἔχῃ διορίσασθαι τῷ λόγῳ καὶ τῶν ἄλλων πάντων ἀφελὼν τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν, καὶ ὥσπερ ἐν μάχῃ διὰ πάντων ἐλέγχων διεξιὼν ἐν πᾶσι τούτοις ἀπτῶτι τῷ λόγῳ διαπορεύηται, οὐδ' αὐτὸ τἀγαθὸν φήσεις εἰδέναι, ... ἀλλ', εἴ πῃ εἰδώλου τινὸς ἐφάπτεται, δόξῃ οὐκ ἐπιστήμῃ ἐφάπτεσθαι.* Jam vero dialectices opus, quod secundum Platonem est *τὸ διαιρεῖν κατὰ γένη τὰ ὄντα*. a nostro habetur *τὸ τὰ τέτταρα (ὄνομα, λόγον, εἴδωλα) διαῤῥίπτειν*, vel, ut in sqq. dicit, *τρίβειν πρὸς ἄλληλα αὐτῶν ἕκαστα, ὀνόματα καὶ λόγους, ὄψεις καὶ αἰσθήσεις*, hoc est verbis et definitionibus et exemplis tanquam calculis ludere, iisque adversarium fallere: quod ab illo tantum differt quantum *ἀντιλογικὴ* differt a *διαλεκτικῇ*, sophista a philosopho. Philosophus, secundum Platonem, versatur in cognitione *τῶν ὄντων*, quae sola certa et firma sunt, quorum naturam et vim comparando et discernendo cognoscere studet; sophista elaborat maxime in verbis et definitionibus, quae fluxa et incerta sunt et de quibus epistolographus ipse testatur: *κύριος δ' αὖ λόγος περὶ ἑκάστου τῶν τεττάρων ὡς ἀσαφές*. His adversarios irretit et in *ἀντολογίας* inducit [1]) efficitque, ut Plato dicit, *φανῆ-*

---

1) Cf. de Rep. V, p. 454 A: *διὰ τὸ μὴ δύνασθαι κατ' εἴδη διαιρούμενοι τὸ λεγόμενον ἐπισκοπεῖν, ἀλλὰ κατ' αὐτὸ τοὔνομα διώκειν τοῦ λεχθέντος τὴν ἐναντίωσιν.*

ναι ταὐτὸ τοῖς αὐτοῖς τότε μὲν δίκαιον, ὅταν δὲ βούληται, ἄδικον (Phaedr. p. 261 C); denique homines eo adducit, ut τῶν πραγμάτων οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιὲς οὐδὲ βέβαιον esse credant (Phaed. p. 90 C).

Si autem his in rebus epistola maximopere a Platonis sententia aberrat, sunt tamen in ea quae partim cum his quos attuli partim cum aliis Platonis locis ita concinunt, ut Platonis verba a scriptore expressa esse facile appareat. Primum quae dicit (p. 343 D) de homine dialecticae artis imperito, ut a perito in disputando decipiatur et εὐκαταγέλαστος reddatur, ea scripsisse videtur ad similitudinem Euthydemi, in quo dialogo sophista inducitur adolescentem eludens et καταγέλαστον reddens, διὰ τὴν τῶν ὀνομάτων διαφορὰν ὑποσκελίζων καὶ ἀνατρέπων (p. 278 B.). Quae deinceps Epistola his subjungit: καὶ ποιεῖ τὸν ἐξηγούμενον ἐν λόγοις ἢ γράμμασιν ἢ ἀποκρίσεσι τοῖς πολλοῖς τῶν ἀκουόντων δοκεῖν μηδὲν γιγνώσκειν ὧν ἂν ἐπιχειρῇ γράφειν ἢ λέγειν, ἀγνοούντων ἐνίοθ' ὡς οὐχ ἡ τῶν τεττάρων φύσις ἑκάστου ἀλλ' ἡ ψυχὴ τοῦ γράψαντος ἢ λέξαντος ἐλέγχεται πεφυκυῖα φαύλως: haec prorsus respondent iis quae apud Platonem leguntur in Phaedone, p. 90 D, ubi Socrates illud maximopere dolendum censet, si quis τῇ ἀντιλογικῇ sive falsa dialectica eo perductus ut nihil verum aut certum esse arbitretur, deinde μὴ ἑαυτὸν αἰτιῷτο μηδὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀτεχνίαν, ἀλλὰ τελευτῶν διὰ τὸ ἀλγεῖν ἄσμενος ἐπὶ τοὺς λόγους ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν αἰτίαν ἀπώσαιτο, „si putet culpam non in sua ipsius inscitia positam esse (Epistola: οὐχ ἡ ψυχὴ τοῦ γράψαντος ἢ λέξαντος ἐλέγχεται), sed in rebus quas tractat (Epistola: ἀλλ' ἡ φύσις ἑκάστου)." Dictum κύκλος τῶν ἐν ταῖς

πράξεσι, quo epistolographus utitur (p. 343 A) ad significandum *circulum qualis oculis cernitur*, non qualis mente cogitatur, expressum est e Platonis Phaedr. p. 271 E: *δεῖ δὴ ταῦθ'* (sc. *τὰ τῶν λόγων εἴδη*) *ἱκανῶς νοήσαντα, μετὰ ταῦτα θεώμενον αὐτὰ ἐν ταῖς πράξεσιν ὄντα . . . τῇ αἰσθήσει ἐπακολουθεῖν*. Sophist. p. 234 E: *ἀνατετράφθαι τὰ ἐν τοῖς λόγοις φαντάσματα ὑπὸ τῶν ἐν ταῖς πράξεσιν ἔργων παραγενομένων*. Deinceps illud Epist. p. 343 E: *ἡ δὲ διὰ πάντων διαγωγὴ ἄνω καὶ κάτω μεταβαίνουσα*, convenit cum iis quae modo citavi de Rep. VII, p. 534: *ὃς ἂν διὰ πάντων ἐλέγχων διεξιὼν διαπορεύηται*; ac magis etiam cum his dictis in Parmenide, p. 136 E: *ἄνευ ταύτης τῆς διὰ πάντος διεξόδου καὶ πλάνης ἀδύνατον ἐντυχόντα τῷ ἀληθεῖ νοῦν σχεῖν*. Animadvertendum autem, quo sensu noster *διαγωγήν*, Platonem *διέξοδον* usurpare; vocabulum *διαγωγὴ* apud Platonem, sive nude positum sive addito *βίου*, indicat *vitae institutum*. Vid. de Rep. I, p. 344 C, Theaet. p. 177 A. Dictio *ἄνω καὶ κάτω μεταβαίνειν* translata est a Platone, qui tamen aptius dicit *ἄνω καὶ κάτω μεταστρέφειν τοὺς λόγους*. Phaedr. p. 272 B: *πάντας λόγους ἄνω καὶ κάτω μεταστρέφοντα ἐπισκοπεῖν*. Cf. ibid. 278 D. Quae paulo post sequuntur, Ep. p. 344 B: *μόγις δὲ τριβόμενα πρὸς ἄλληλ' αὐτῶν ἕκαστα, ὀνόματα καὶ λόγοι, ὄψεις τε καὶ αἰσθήσεις, . . . ἐξέλαμψε φρόνησις περὶ ἕκαστον καὶ νοῦς*, haec expressa sunt e praeclaro Platonis loco de Rep. IV, p. 435 A: *καὶ τάχ' ἂν πάρ' ἄλληλα σκοποῦντες καὶ τρίβοντες ὥσπερ ἐκ πυρείων ἐκλάμψαι ποιήσαιμεν τὴν δικαιοσύνην*.

Denique notandum lepide dictum: *οὐδ' ἂν ὁ Λυγκεὺς ἰδεῖν ποιήσειε τοὺς τοιούτους*. Notum est proverbium: *Λυγκέως ὀξύτερον δέρκεσθαι* (Aristoph. Plut. vs. 210) et *lynceis ocu-*

lis. Ferebatur Lynceus tanta valuisse oculorum acie ut διὰ δρυὸς ὁρῴη. Sed Lynceum fuisse velut alterum Aesculapium, ὀφθαλμίατρον, hoc, opinor, eruditis erat ignotum.

§ 2.

De arcana Platonis philosophia.

Miretur quis, qui fieri potuerit ut scriptor in Platonis lectione tam versatus, qualem noster se ostendit, in rationibus eius explicandis ita halucinetur, ut, quae ab illo dilucide sunt exposita, pervertat plane et corrumpat. Tribuendum hoc puto partim scriptoris inscitiae, qui magis verba et figuras quam mentem et cogitata philosophi attenderet, partim vero etiam falsae opinioni quae illius judicium pervertit. Obtrudere nimirum Platoni studuit sapientiam quandam arcanam, verborum sententiarumque quasi nube involutam, tanquam celsiorem et diviniorem quam quae in vulgus efferri aut scripto mandari posset. Apparet hoc ex extrema huius disputationis parte, ad quam nunc accedimus.

Postquam dixit scientiam a nemine percipi posse nisi qui sit veritati cognatus ad eamque natura aptus (ξυγγενής), et veritatem non nisi μετὰ τριβῆς πολλῆς, multiplici disputatione, interrogando et respondendo, inveniri posse, deinceps ad illud redit quod jam in praegressis obiter dixerat: neminem sapientem fore qui cogitata literarum notis mandare audeat: νοῦν ἔχων οὐδεὶς τολμήσει ποτ' εἰς αὐτὸ τιθέναι τὰ νενοημένα ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ταῦτ' εἰς ἀμετακίνητον, ὃ δὴ πάσχει τὰ γεγραμμένα τύποις. p. 343

A. Idem nunc tanquam totius disputationis conclusionem diserte eloquitur: „Quicumque, dicit, sapientiam ut rem seriam serio tractet, sive legislator sive alius quis, multum aberit ut cogitata unquam scripto evulget et multitudinis invidiae et cavillationi projiciat: διὸ δὴ πᾶς ἀνὴρ σπουδαῖος τῶν ὄντων σπουδαίων πέρι πολλοῦ δεῖ μὴ γράψας ποτ' ἐν ἀνθρώποις εἰς Φθόνον καὶ ἀπορίαν καταβαλεῖ; id qui facit eo ipso ostendit aut philosophiae dignitatem sibi non esse curae aut caecum se esse et dementem." Deinceps ad Dionysium revertens haec addit: „Si aut ipse aut alius quispiam de summis naturae principiis (τῶν περὶ Φύσεως ἄκρων καὶ πρώτων) aliquid scriptum edidit, ostendit se οὐδὲν ὑγιὲς sapere, neque aliam ob causam id fecisse putandus est nisi ob ambitionem: nam ὑπομνημάτων χάριν (dici oportuit ὑπομνήσεως χάριν) non necesse erat facere, siquidem illa paucis capitibus continentur (ἐν βραχυτάτοις κεῖται), quae semel percepta numquam e memoria excidant."

Qui Platonem talia praecipientem facit, eum existimasse oportet, Platonem ipsum doctrinam suam nec scripto mandasse neque evulgasse; itaque dialogos eius esse tantum sermones e Socratis disputandi more expressos, opus ludicrum, non σπουδαῖον; ipsius vero principia philosophiae nec literis ab eo consignata esse neque in vulgus elata, sed in Academiae umbra cum discipulis tantum et familiaribus disserendo explicata ac, si forte, in ὑπομνήματα relata esse. Atque hanc fuisse epistolographi sententiam, multi loci ostendunt.

In Epistola XIII, p. 363 A, personatus Plato dialogos suos (Phaedonem significans) appellat Σωκρατείους λόγους, h. e. sermones in quibus Socratis ratio et sen-

tentia essent expositae. His non suam ipsius sed Socratis philosophiam contineri dicit in Epistola II, p. 314 B, ad Dionysium haec scribens: *μεγίστη δὲ φυλακὴ τὸ μὴ γράφειν, ... οὐ γάρ ἐστι τὰ γραφέντα μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν. διὰ ταῦτ' οὐδὲν πώποτ' ἐγὼ περὶ τούτων γέγραφα οὐδ' ἔστι ξύγγραμμα Πλάτωνος οὐδὲν οὐδ' ἔσται, τὰ δὲ νῦν λεγόμενα Σωκράτους ἐστὶ καλοῦ καὶ νέου γεγονότος.* [1]) h. e. „de principiis philosophiae scriptum nullum Platonis exstat aut exstabit; quae autem meo nomine inscripta feruntur, non meam doctrinam continent sed effigiem referunt Socratis (h. e. Socratici disserendi moris), et quidem Socratis, non qualis fuit annis et sapientia maturus, sed qualis fuit adolescens et bellus s. lepidus ac facetus." Ergo dialogi non sunt opera seria, sed ludicra potius, e quibus nec Platonis neque ipsius Socratis sapientia percipi possit. Idem in Epistola VII diserte affirmatur his verbis, p. 341 B, C: *τοσόνδε γε μὴν περὶ πάντων ἔχω φράζειν τῶν γεγραφότων καὶ γραψόντων· ... τούτους οὐκ ἔστι κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν περὶ τοῦ πράγματος ἐπαΐειν οὐδέν. οὔκουν ἐμόν γε περὶ αὐτῶν ἐστὶ ξύγγραμμα οὐδὲ μήποτε γένηται· ῥητὸν γὰρ οὐδαμῶς ἐστὶν ὡς ἄλλα μαθήματα, ἀλλ' ἐκ πολλῆς ξυνουσίας γιγνομένης περὶ τὸ πρᾶγμα αὐτὸ καὶ (ἐκ) τοῦ συζῆν ἐξαίφνης οἷον ἀπὸ πυρὸς πηδήσαντος ἐξαφθὲν φῶς*

---

1) Idem enuntiatum, inde a verbis *οὐδ' ἔστι ξύγγραμμα* Platonis nomine citatur in Socr. Epist. XV. Diversae horum verborum interpretationes memorantur a Wiegandio, l. l. p. 24 sqq., qui ipse Hermanni interpretationem sequitur: „alles, was unter Plato's Namen schriftlich existire, gehöre dem verjüngten und verschönerten Socrates an," putatque a scriptore distingui Socratem, qualis in vivis erat, a Socrate Platonico ad effigiem perfecti philosophi scripto, quem germanice dixeris den idealisirten Socrates.

ἐν τῇ ψυχῇ γενόμενον αὐτὸ ἑαυτὸ ἤδη τρέφει. Quod dicit „philosophiam non sicut ceteras disciplinas impertiendam esse hominibus, sed e multiplici disputatione et longa consuetudine derepente quasi e micante igni lumen accensum in animo oriri ac deinde se ipsum alere," praeclara haec est sententia prorsus e Platonis mente expressa; [1]) at tamen non probat id quod voluit scriptor, ideo nihil scribi oportere. Denique in Epistola XII ad Archytam Plato huic gratias agit pro acceptis commentariis et vicissim suos ei remittit. Vocat haec ὑπομνήματα, i. e. memoriae causa notata, non destinata ut evulgentur.

Itaque ex Epistolarum verbis manifestum est duo haec statui: primum, Platonem philosophiam suam non scriptis explicuisse, sed dialogos quos scripsit esse opera e Socratico more expressa et animi causa composita; alterum, eum philosophiam ut scientiam abditam non evulgasse, sed intra scholae cancellos et familiarium coetum continuisse. De utroque quid judicandum sit et quatenus cum Platonis mente conveniat, quaerendum.

Primum, quod Platonem praecipientem facit de philosophia non literis mandanda, id manifesto depromtum est e Phaedro, in cuius extrema parte Socrates de scribendi usu disserens docet λόγους scriptos ad discendum inutiles esse, quippe qui se ipsos interpretari nequeant; utiliora esse quae memoriae adjuvandae gratia scribuntur, ὑπομνήματα, quibus in senectute quis utatur; optimos autem λόγους esse qui non in charta sed in discentium animis scribantur: „tales fetus qui parit, hic demum,

1) Cf. de Rep. IV, p. 435 A, et ad h. l. Ast. Comment. p. 493.

inquit, o Phaedre, talis est quales nos esse ego et tu volumus." Si hunc locum cum iis quae supra ex Epistola VII descripsi conferamus, apparebit ea ita concinere ut statim imitatorem agnoscas.

Si verba attendas, quod noster ibi (p. 343 A) *γράμματα* vocat *ἀμετακίνητον*, id obscure dictum explicatur eo quod Plato dicit, *λόγους* scriptos similes esse imaginibus pictis, quae stant immotae et quaerenti respondere nequeunt, sed semper unum idemque significant: *ἕν τι σημαίνει ταὐτὸν ἀεί*. (Phaedr. p. 275 D—276 B). Coloris autem similitudo statim agnoscitur, si cum Epistolae verbis, p. 344 C, compares haec Phaedri, p. 277 D: *ὡς εἴτε Λυσίας εἴτε τις ἄλλος πώποτ' ἔγραψε ἢ γράψει, ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ, νόμους τιθείς, ξύγγραμμα πολιτικὸν γράφων, καὶ μεγάλην τιν' ἐν αὐτῷ βεβαιότητα καὶ σαφήνειαν ἡγούμενος, οὕτω μὲν ὄνειδος τῷ γράφοντι, εἴτε τίς φησιν εἴτε μή.* Et ibidem E: *ὁ δέ γ' ἡγούμενος . . . οὐδένα πώποτε λόγον ἐν μέτρῳ οὐδ' ἄνευ μέτρου μεγάλης ἄξιον σπουδῆς γραφῆναι οὐδὲ λεχθῆναι, . . . ἀλλὰ τῷ ὄντι αὐτῶν τοὺς βελτίστους εἰδότων ὑπόμνησιν γεγονέναι, ἐν δὲ τοῖς διδασκομένοις καὶ μαθήσεως χάριν λεγομένοις καὶ τῷ ὄντι γραφομένοις ἐν ψυχῇ περὶ δικαίων τε καὶ καλῶν κἀγαθῶν μόνοις τό τ' ἐναργὲς εἶναι καὶ τέλεον καὶ ἄξιον σπουδῆς, . . . οὗτος ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ κινδυνεύει, ὦ Φαῖδρε, εἶναι οἷον ἐγώ τε καὶ σὺ εὐξαίμεθ' ἂν σέ τε κἀμὲ γενέσθαι.* Animadvertatur ipsa verborum similitudo. Plato: *εἴτε . . ἔγραψεν ἢ γράψει*; Epistola (p. 341 B): *τοσόνδε γε μὴν περὶ πάντων ἔχω φράζειν τῶν γεγραφότων καὶ γραψόντων.* Plato: *ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ νόμους τιθείς*; Epistola (p. 344 C): *ξυγγράμματα γεγραμμένα εἴτ' ἐν νόμοις νομοθέτου εἴτ' ἐν ἄλλοις τισὶν ἅττ' οὖν.* Denique confer Platonis illud, *οὐδένα πώποτε*

λόγον... ἄξιον σπουδῆς γεγονέναι, cum frequente usu vocabuli σπουδαῖος in Epistolae loco allato. Haec talia sunt ut puerile imitandi studium prodant.

Si sententiam spectes, apparet Epistolographum hoc Phaedri loco ita usum esse, ut quae ibi Socrati tribuit Plato, ea in ipsum Platonem transferat; quod aeque incongruum et absonum est ac si, quae in Apologia de sua hominum percontandi ratione Socrates disserit, ea in Platonem transferrentur. Plato iis quae dicentem facit Socratem praecipue id spectavit, ut rationem redderet cur ille cogitata sua non, ut rhetores et sophistae, scriptis orationibus exposuerit, sed sermonibus; tum vero eadem ratione explicuit, quam ob causam ipse, relicta sophistarum disserendi et declamandi consuetudine, non λόγους, sed ad magistri exemplum διαλόγους composuerit, eandem in scribendo rationem secutus quam in disserendo praeiverat Socrates. 1) Verum opinari Platonem, quae in dialogis tractavit, quae de vero, pulcro, justo, quae de civitate, de natura, de scientia, de immortalitate disseruit, non nisi ludi causa scripsisse, neque his sua cogitata de gravissimis philosophiae quaestionibus complexum esse, est hominis parum acuti vel potius praejudicata opinione decepti.

Ad alterum venio: Platonem scilicet philosophiam non evulgandam, sed occultandam multitudini putasse; quod

1) Eleganter et copiose Platonis sententiam explicat van Heusde, Initia phil. Platon. II, P. 1, p. 120 sqq. Hic ut Epistolae verba cum Platonis Phaedro conciliet, ea interpretatur in hanc sententiam (p. 127): Epistolae scriptorem, quum Platonem scripsisse negat, hoc tantum voluisse, illum non sophistarum et rhetorum more λόγους scripsisse.

breviter et carptim in Epistola VII, apertius et plenius exponitur in Epistola II, ubi personatus Plato *αἰνιγματωδῆ* prorsus philosophiam profitetur. Ibi de sua cum Dionysio consuetudine multa locutus, haec missa faciens verbis *περὶ μὲν οὖν τούτων ταῦτα*, deinceps ad alia pergit hoc modo, p. 312 D:

Τὸ δὲ σφαιρίον οὐκ ὀρθῶς ἔχει· δηλώσει δέ σοι Ἀρχέδημος, ἐπειδὰν ἔλθῃ. καὶ δὴ καὶ περὶ τοῦδ', ὃ τούτου τιμιώτερόν τ' ἐστι καὶ θειότερον, καὶ μάλα σφόδρ' αὐτῷ δηλωτέον, ὑπὲρ οὗ σὺ πέπομφας ἀπορούμενος. Φῄς γὰρ δὴ κατὰ τὸν ἐκείνου λόγον οὐχ ἱκανῶς ἀποδεδεῖχθαί σοι περὶ τῆς τοῦ πρώτου φύσεως. Φραστέον δή σοι δι' αἰνιγμῶν, ἵν', ἄν τι ἡ δέλτος ἢ πόντου ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ. ὧδε γὰρ ἔχει· περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶ, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν· δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα.

Aperte hic Dionysio dicit, se de rerum principiis scribere *δι' αἰνιγμῶν*, ut qui legat non intelligat. Cum quibus concinunt quae paulo post eidem praecipit, ut caveat ne illa in vulgus indoctum emanent, p. 314 A: *εὐλαβοῦ μέντοι μή ποτ' ἐκπέσῃ ταῦτ' εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους· σχεδὸν γὰρ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ ἔστι τούτων πρὸς τοὺς πόλλους καταγελαστότερ' ἀκούσματα οὐδ' αὖ πρὸς τοὺς εὐφυεῖς θαυμαστότερά τε καὶ ἐνθουσιαστικώτερα.* Atque in fine ei mandat ut epistolam lectam et relectam comburat: *ἔρρωσο καὶ πείθου, καὶ τὴν ἐπιστολὴν ταύτην νῦν πρῶτον πολλάκις ἀναγνοὺς κατάκαυσον.* Ex his manifesto apparet, Platoni hic tribui arcanam sapientiam, quae placita de rebus reconditis tecte et *αἰνιγματωδῶς* efferret, ut ea legens nemo intelligeret nisi sapientiae mysteriis initiatus.

Et sane quae in eadem epistola ad Dionysium profatur,



ita comparata sunt ut Pythiam potius quam philosophum audire te credas. Quod initio dicitur *τὸ σφαίριον*, quid significet, obscurum. Probabile opinor, significari non pilam, notum ludum, ut Cornario videbatur (Eclog. IX, p. 134), sed sphaeram astronomicam. Itaque spectat his verbis tecte, ut inter amicos, ad Dionysii studium geometrices, qua imbuisse eum ferebatur Plato (vid. Ep. III, p. 319 C). Sed quidquid significat, patet hoc additum esse, ut Epistolae familiaris consuetudinis color induceretur, ut recte opinatur Astius, libro laud. p. 513.

Quae autem deinceps leguntur: *περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶ καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν· δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα*, in his ultima verba attente legentibus ita, opinor, corrigenda videbuntur, mutato accentu: *τὸ δὲ δεύτερον πέρι τὰ δεύτερα, καὶ τὸ τρίτον πέρι τὰ τρίτα*; qua ratione haec conveniunt cum praegresso *περὶ τὸν πάντων βασιλέα* (qui idem est atque *τὸ πρῶτον*) *πάντ' ἐστίν*. Cui mutationi suffragatur Justinus Martyr, qui ultima verba mutato ordine sic citat: *τὰ δὲ τρίτα περὶ τὸ τρίτον*. Sensus hic est: „tres sunt principiorum gradus: primus complectitur cuncta *τὰ καλά*, quorum deus s. *τὸ πρῶτον* causa est et principium; alter res secundi ordinis, quarum principium est *τὸ δεύτερον*; tertius res infimi ordinis, quarum principium est *τὸ τρίτον*." Ceterum haec *δι' αἰνιγμῶν* enuntiata ipsa obscuritate celebritatem nacta sunt. Certatim hunc locum una cum altero ex Epistola VI, quem mox afferam, laudarunt Ecclesiae Patres, Justinus Martyr, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Cyrillus, alii, qui sub his verbis sub-

limem naturae divinae notionem subesse existimarunt. Justinus Martyr, Apol. I, 60, *τὸ δεύτερον* significare vult Verbum, *τὸ τρίτον* Spiritum; alii aliter. Hinc fuerunt qui hanc epistolam a Christiano homine concinnatam aut interpolatam crediderunt. Alii contra e Judaeorum schola Alexandrina hoc placitum derivatum esse opinati sunt. Locos tam veterum quam recentiorum qui de hoc egerunt, citant Ast, Platon's Leb. u. Schr. p. 510 not., Hermann, libro laud. p. 593 not. 223, et plenius Wiegand, Symb. Crit. ad Platon. Ep. II, p. 18 sqq.

Si tamen ipsa verba spectamus, nequaquam liquet *τὸ δεύτερον* et *τὸ τρίτον* aeque atque illud quod *τὸ πρῶτον* nominat ad dei naturam referri. Dicit se explicaturum *περὶ τῆς τοῦ πρώτου φύσεως*: *τὸ πρῶτον* hoc declarat esse *τὸν πάντων βασιλέα καὶ αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν*: deinde huic tanquam inferiora subjungit *τὸ δεύτερον* et *τὸ τρίτον*, quae tria simul conficiunt ea quae in Epistola VII (p. 344 D) *τὰ περὶ φύσεως-ἄκρα καὶ πρῶτα* appellantur. Jam in his tribus nihil est quod non a Platone derivatum videtur. Scriptoris menti obversatum esse credo locum hunc Tim. p. 52 A: *ὁμολογητέον ἓν μὲν εἶναι τὸ κατὰ ταὔτ' ἔχον εἶδος, ἀγέννητον καὶ ἀνώλεθρον,... τὸ δ' ὁμώνυμον ὅμοιόν τ' ἐκείνῳ δεύτερον, γεννητὸν,... τρίτον δ' αὖ γένος ὂν τὸ τῆς χώρας ἀεὶ, φθορὰν οὐ προσδεχόμενον, κτλ.* Hic a Platone tria haec discernuntur: primum *τὸ νοητὸν*, qui est mundus idearum, secundum *τὸ αἰσθητὸν*, mundus aspectabilis ad illius similitudinem conformatus, tertium materia generatim, quam vocat *μητέρα παντὸς αἰσθητοῦ* (p. 52 D), quod quidem medium ponitur inter *νοητὰ* et *αἰσθητά*. Quod autem Plato ibi primum ponit, *τὸ νοητὸν*, pro hoc epistola habet

τὸν πάντων βασιλέα, quem ille *ὡς ἐπέκεινα τῆς οὐσίας* eximit. Vid. Schürmann, de Deo Platon. p. 19, 44. Ceterum Plato in scriptis suis non, ut noster hic facit, *τὰ πρῶτα, τὰ δεύτερα, τὰ τρίτα* definito significatu usurpat ad notandas naturae partes praestantiae gradu diversas; id demum fecerunt eius discipuli, qui his vocabulis proprias et certas tribuerunt notiones, velut Aristoteles, in Metaph. IV, 11, ubi Platonis *πρότερα* et *ὕστερα* interpretatur *quae per se constant*, *τὰ κατ' οὐσίαν*, et *quae sine illis esse nequeunt*, *τὰ κατὰ φύσιν*. [1])

Non minus obscuritatis habet alter hic locus, quem modo indicavi, Epist. VI, p. 323 D. Jubet sodales, ad quos hanc epistolam scribit, monita sua cordi habere, *τὸν τῶν πάντων θεὸν, ἡγεμόνα τῶν τ' ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ θ' ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντας*. Distinguuntur hic *ὁ τῶν πάντων θεὸς ἡγεμὼν*, et *τοῦ ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατὴρ κύριος*. Primum animadvertantur verba inepte redundantia in hisce: *τοῦ ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα*; nam quid sit *ὁ τοῦ ἡγεμόνος πατὴρ* intelligi potest, non vero *ὁ τοῦ αἰτίου πατήρ*: nam si *τῷ αἰτίῳ* est pater, non est *αἴτιος*. Tum notetur pleonasmus *πατὴρ κύριος*: nam in nomine *πατὴρ* inest jam significatio *τοῦ κυρίου*. Delectatur Epistolae scriptor hoc vocabulo. Sic paulo ante: *χρῆσθαι ξυνθήκῃ καὶ νόμῳ κυρίῳ*. Epist. VIII, p. 354 C: *νόμος ἐπειδὴ κύριος ἐγένετο βασιλεὺς τῶν ἀνθρώπων*. Sed ut ad rem veniamus, in his quoque docti agnoverunt placitum de Verbo sive Filio, quod alii a Christiana doc-

---

1) Eadem ratione Epistolae scriptor formulis **τὸ τί** et **τὸ ποιόν τι**, quas Aristoteles primus invenit, usus est tanquam Platonicis, ut ostendi supra p. 197.

trina, alii ab Alexandrinorum sapientia fluxisse arbitrati sunt. [1]) Sine causa, opinor. In Timaeo creator sive opifex mundi audit non semel *ὁ πατήρ*, ut p. 28 C: *πατὴρ καὶ ποιητὴς τοῦδε τοῦ παντός*. p. 37 C: *ὁ γεννήσας πατήρ*. p. 41 A: *ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τ' ἔργων*. Huius autem opus, universum sive mundus, ipsum quoque ab illo habetur et dicitur *θεός*. Sic (p. 43 A) cogitatio Dei de mundo fabricando dicitur *λογισμὸς ὄντος ἀεὶ θεοῦ περὶ τόν ποτ' ἐσόμενον θεόν*. Ibi *ὁ ὢν ἀεὶ θεὸς* est *ὁ πατήρ*, huius opus *ὁ ποτ' ἐσόμενος θεός*, atque hic, mundum dico, vicissim est *ἡγεμὼν* aliorum numinum quae deinde creata sunt. Deus enim *ὁ τόδε τὸ πᾶν γεννήσας* sic alloquitur naturas coelestes quibus universum constat (p. 41 A): *Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τ' ἔργων*, h. e. „dii deo geniti, quorum ego pater et conditor sum tanquam operis mei;" et deinde his mandat mortalia genera condere (ibid. D): *τὸ δὲ λοιπὸν ὑμεῖς ἀθανάτῳ θνητὸν προσυφαίνοντες, ἀπεργάζεσθε ζῷα καὶ γεννᾶτε τροφήν τε διδόντες αὐξάνετε καὶ φθίνοντα πάλιν δέχεσθε*. Hinc a nostro effecta sunt duo illa, *ὁ ἡγεμὼν τῶν τ' ὄντων καὶ τῶν μελλόντων*, „auctor mortalium quotquot sunt et futura sunt," h. e. mundus, et *ὁ τοῦ ἡγεμόνος πατήρ*, summus deus, *ὁ ἀεὶ ὤν*. Etiam vocabulum *ἡγεμὼν* a Platone petitum, qui sic in Phaedro, p. 246 E: *ὁ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεύς*. Ex his palam esse credo, quomodo noster quae dilucide a Platone exposita sunt, mutilando *αἰνιγματώδη* reddiderit.

Quum igitur in omnibus his epistolis manifeste appareat arcanae sapientiae affectatio, profecta ab ea opi-

---

1) Vid. Hermann, libr. laud. p. 592 sq. n. 220.

nione, Platonem placita sua de rebus divinis augusta quadam mysteriorum nube involvisse, eaque ut vulgus hominum superantia paucis tantum quasi ad interiora sacra admissis aperuisse, oritur quaestio, num in Platonis scriptis legantur quae huic opinioni locum dare potuerint.

Non fugit Platonem multitudinem abhorrere a philosophia et odisse philosophos, quos tanquam *μετεωροσκόπους* et *ἀεροβάτας* vulgo rideri, contemni, sperni, imo exsilio et morte affici, tam aliorum quam Socratis sui exemplo edoctus erat. Luculenta et gravi oratione hac de re disputat de Rep. VI, p. 489—490. Jam quid magis consentaneum videri poterat quam qui ita de multitudinis opinione sentiret, eum cavisse ne doctrinae placita intelligentibus tantum apta in vulgus efferrentur, eaque adeo aut occultasse aut non nisi tecte et *δι' αἰνιγμῶν* significasse? Nec scrutantibus deesse poterant indicia quibus hanc opinionem semel susceptam fulcirent. Plato enim ubi abditas quaestiones tractat, praesertim de principio et de fine rerum omnium, interdum sic loquitur ut ea divinari potius quam distincte intelligi et explicari posse significet. Ut omittam *μύθους*, quibus opiniones suas de animorum natura et origine exposuit, in Phaedone de immortalitate disserens aperte dicit (p. 85 D), oportere nos probabili ratione contentos esse, *εἰ μή τις δύναιτ' ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος ἢ λόγου θείου τινὸς διαπορευθῆναι*, „nisi quis firmiore rate vectus sive divina quadam ratione nixus tutius et certius per vitam navigare possit." Qui hic dicitur *θεῖος λόγος* quid aliud est nisi persuasio non rationis ope sed divino afflatu nobis oblata? In Timaeo autem audimus de Deo haec dicentem, p. 28 E: *τὸν*

μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τ' ἔργον, καὶ εὑρόντ' εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Et in eodem dialogo, ubi de principiis rerum disputavit, sermonem sic concludit, p. 53 D: τὰς δ' ἔτι τούτων ἀρχὰς ἄνωθεν θεὸς οἶδε, καὶ ἀνδρῶν ὃς ἂν ἐκείνῳ φίλος ᾖ. In his aperte docet, quod primum et quod ultimum est sciri a mortalibus non posse, atque si paucis aut singulis id fortasse contingat singulari divinae mentis afflatu, verbis tamen declarari nullo modo posse. Quid mirum, si talibus locis inducti sunt ut crederent, Platoni de rebus occultis et divinis fuisse placita quaedam, quae nec ratiocinando et argumentando demonstrari posse nec nisi doctioribus aperiri oportere existimaret? ut paucis dicam: si putarent Platonis doctrinam aliam fuisse ἐξωτερικὴν, quam scriptis suis exposuisset, aliam ἐσωτερικὴν, vulgo abditam et intra scholae cancellos reclusam? [1])

Opinio haec, antea pervulgata, merito ut falsa et a Platonis ingenio abhorrens jam a viris doctis reprobata est. [2]) Sane quidem Plato, qui cum ingenii excellentia

1) Fuit haec sententia tum veterum multorum, praecipue Platonicorum, quorum testimonia collegit Wyttenbachius ad Phaedon. p. 134—139, tum recentiorum qui illos secuti sunt, ut Tiedemanni, Dialog. Platon. argum. pag. extr. „Habebat namque, ut alii fere philosophi omnes, et Plato sua secreta, quae revelare profanis, id est scholae placitis non plane initiatis, nefas putabat: quo de genere erant ἄγραφα illa ab Aristotele etiam commemorata δόγματα." Similiter Tennemannus, Syst. der Platon. Philos. I, p. 137: „Ein anderer Umstand, welcher für die Wahrheit dieser Aüsserungen spricht, ist der, dass er (Plato) eine gedoppelte Philosophie hatte, eine aüssere und innere oder geheime, und dass es für die letztere auch besondere Schriften gab." Cf. eiusdem Gesch. der Philos. Vol. I. p. 205—222.

2) Ast, Platon's L. u. Schr. p. 510 sq. Schleiermacher, Platon's Werke, 1, P. I, p. 11—15. Trendelenburg, de Ideis p. 2. Socher,

et indagandi libertate parem conjungebat in philosophando modestiam et religionem, agnovit ultima rerum principia occulta esse mortalibus eaque mentis aciem fugere nec nisi divinando de his augurari concessum esse, non vero ea quae ratione investigari ac mente comprehendi posse putaret, occultavit et quasi in penetralia abdidit ad quae initiatis tantum aditus pateret. Contrarium testantur eius scripta.

Quid gravius et celsius magisve reconditum cogitari potest quam ea quae in Phaedro, in Phaedone, in Timaeo, alibi, de anima, de deo, de universi origine, de immortalitate disputata leguntur? Quid autem Plato, si talia divulgavit, scholis reservasse putandus est? [1]) Aut quis credat ista profano et indocto vulgo, nec potius eruditissimo et sapientissimo cuique destinata fuisse? Opus autem de Republica, monumentum immortale, quo omnis suae philosophiae quasi summam complexus est, id clamat certe, eum non paucos tantum initiatos sed omnes philosophia sua imbuere, emendare et ad verae scientiae et perfectae virtutis intelligentiam evehere studuisse. In hoc nimirum germanum se praestitit Socratis discipulum, qui sapientiam a coelo in terram avocasse et in domos introduxisse, h. e. in vitae usum convertisse praedicatur, ut omnes pariter ex hoc quasi fonte haurire et alimentum capere possent. Quid quod ipse nón semel ridet

Ueber Platon's Schr. p. 323, sq. Hermann, Gesch. d. Platon. Phil. p. 554; cf. p. 711 not. 750.

1) Similiter judicat Socherus, libro laud. p. 395: „Wusste veilleicht die geheime Schule, zu der die Verfasser der platonisch genannten Briefe zu gehören sich anmassen, hoheren Prinzipien über Gott, Welt und Menschen als die wir Uneingeweihte geschrieben in Timaeos lesen?"

sophistarum ἀπόῤῥητα, ut in Theaeteto p. 152 E, ubi in Protagoram dicit: τοῦθ' ἡμῖν μὲν ᾐνίξατο τῷ πολλῷ συρφετῷ, τοῖς δὲ μαθηταῖς ἐν ἀποῤῥήτῳ τὴν ἀλήθειαν ἔλεγεν. Cf. ibid. p. 155 E. [1])

Ergo quae de arcana et αἰνιγματώδει Platonis doctrina feruntur, ea sunt commenta seriorum Platonicorum, qui ut augusta quadam divinitatis specie Platonis sapientiam ornarent, mysteria Pythagorica in Academiam transtulerunt.

§ 2.

Platonis quae feruntur ἄγραφα δόγματα. Διαιρέσεις. Πυθαγόρεια.

Quamquam autem constat Platonem nullam doctrinae partem intra scholae cancellos reclusam tenuisse, verum de gravissimis quaestionibus placita sua palam enuntiasse et dialogis edidisse, ferebantur tamen jam antiquitus Platonis ἄγραφα quaedam δόγματα, h. e. talia quae aut ore tradita aut in commentariis notata non in vulgus elata essent, sed familiaribus tantum paterent. Ad hoc genus spectant quae leguntur Epist. VII, p. 344 E, ubi scriptor, reprehendens Dionysium quod philosophiae placita edidisset, haec dicit: οὔτε γὰρ ὑπομνημάτων χάριν αὔτ' ἔγραψεν· οὐδὲν γὰρ δεινὸν μή τις αὔτ' ἐπιλάθηται, ἐὰν ἅπαξ τῇ ψυχῇ περιλάβῃ· πάντων γὰρ ἐν βραχυτάτοις κεῖται.

---

1) Mirum quomodo Wyttenbachius ad Phaed. p. 187 haec verba ita accipere potuerit, quasi Plato ipsi Socrati ἀπόῤῥητα quaedam tribuat.

Quae hic vocantur ὑπομνήματα sunt, ut vulgo appellantur, *adversaria*, in quibus memoriae gratia res notabantur; ἐν βραχυτάτοις κείμενα autem intelligunter philosophiae, praesertim metaphysicorum principia, memoriae et menti infigenda, cuiusmodi sunt quae modo attigimus ex Epist. II, p. 312, 313. Tum in Epistola XII Plato Archytae gratias agit, quod ὑπομνήματα sibi misit et vicissim sua illi se missurum pollicetur; addit: περὶ δὲ τῆς φυλακῆς ἀμφότεροι ξυμφωνοῦμεν, ὥστ' οὐδὲν δεῖ παρακελεύεσθαι: quo significat ea veluti arcana in scriniis esse servanda. In Epist. XIII, p. 360 B, ad Dionysium scribit, additis commentariorum titulis: ἐγὼ νῦν ... τῶν τε Πυθαγορείων πέμπω σοι καὶ τῶν διαιρέσεων.

Ex his igitur apparet, quo tempore hae epistolae scriptae sunt, pervulgata jam fuisse Platonis nomine ὑπομνήματα, in quibus propria scholae dogmata essent notata: in his commentarios περὶ Πυθαγορείων et διαιρέσεις. Frequens huiusmodi ἀγράφων δογμάτων mentio est apud recentiores Platonis et Aristotelis interpretes, Alexandrum Aphrodisium, Themistium, Porphyrium, Syrianum, Proclum, Simplicium, Johannem Philoponum, qui ex his multa (vera an falsa, nunc non quaero) afferunt, quae e Platonis disputationibus de summis rerum principiis ducta et deinceps ab eius auditoribus, Aristotele, Theophrasto, Heraclide, Hestiaeo, aliis in adversaria relata aut operibus edita esse narrant. Notissimum hac in re est testimonium Simplicii in Comment. ad Aristotelis Phys. fol. 104 B: καὶ τὸ μέγα δὲ καὶ τὸ μικρὸν ἀρχὰς τιθεὶς ἄπειρον εἶναι ἔλεγεν (scil. ὁ Πλάτων) ἐν τοῖς περὶ τἀγαθοῦ λόγοις, οἷς ὁ Ἀριστοτέλης καὶ Ἡρακλείδης καὶ Ἑστιαῖος καὶ ἄλλοι τοῦ Πλάτωνος ἑταῖροι παραγενόμενοι ἀνέ-

γράψαντο τὰ ῥηθέντ' αἰνιγματωδῶς, ὡς ἐῤῥήθη.[1]) Illis vero interpretibus antiquitate multum praestant Epistolae; quare operae pretium est inquirere quid fidei harum testimonio sit habendum. Non est autem huius loci, omnem hanc quaestionem, opus difficile et arduum, pertractare; contentus ero, quod proposito meo sufficit, afferendis iis quae apud antiquissimum testem, Aristotelem dico, de ἀγράφοις illis memorantur.

Primus hic in censum venit locus Aristotelis Phys. IV, 2 p. 209 B. Brand., ubi de spatio loquens haec dicit: Πλάτων τὴν ὕλην καὶ τὴν χώραν ταὐτό φησιν εἶναι ἐν τῷ Τιμαίῳ· τὸ γὰρ μεταληπτικὸν καὶ τὴν χώραν ἓν καὶ ταὐτόν· ἄλλον. δὲ τρόπον ἐκεῖ 'τε λέγων τὸ μεταληπτικὸν καὶ ἐν τοῖς λεγομένοις ἀγράφοις δόγμασιν. „Plato materiem et spatium idem esse dicit in Timaeo: nam τὸ μεταληπτικὸν et spatium unum idemque dicit: ceterum hoc vocabulum μεταληπτικὸν alio sensu in Timaeo, alio in τοῖς ἀγράφοις usurpat." [2]) Addit τοῖς λεγομένοις, quid hoc significat? num hoc: *quae Platonis esse feruntur, non tamen sunt?* an potius: *quae hoc titulo inscribuntur*, quo indicetur dogmata ista non, ut dialogos, ab ipso Platone literis mandata et vulgata esse, sed ab aliis ex eius

1) Veterum interpretum locos de hoc argumento collegit et explicuit Brandisius in Diatribe de perditis Aristot. libr. de Ideis et de Bono (Bonnae, 1813); retractavit Trendelenburg, Platon. de Ideis et de Numeris doctr. ex Aristot. illustrata (Lipsiae, 1826).

1) Spectat locum Platonis Timaei, p. 48—51, quem supra attigi, ubi loquitur de materie, quam vocat μητέρα τοῦ αἰσθητοῦ, quae ideas (τὰ νοητὰ) in se suscipit et ita τὰ ὁρατὰ procreat. Dicitur illa μεταλαμβάνειν τοῦ νοητοῦ (p. 51 A), unde ab Aristotele vocatur τὸ μεταληπτικόν. Locum Aristotelis tangit Brandisius, p. 25 sqq.

ore excepta, notata et *ἀγράφων* titulo edita? Posterius verum opinor. Nam si incerta aut falsa fuissent, id fugere Aristotelem non potuit, et indicasset certe huiusmodi verbis: *ἐν τοῖς ψευδῶς λεγομένοις ἀγράφοις δόγμασιν.* Recte vero eo quo dixi sensu addidit *τὰ λεγόμενα*, *inscripta* hoc titulo, quo indicetur dogmata illa in scholis explicita non memoriter tantum prodita sed etiam literis notata esse: unde efficitur, commentarios hoc titulo Aristotelis tempore doctorum in manibus fuisse.

Solus hic est Aristotelis locus ubi *ἄγραφα δόγματα* nominatim citantur. Sunt alii eiusdem loci ubi Platonis placita non e commentariis, sed e magistri sermonibus memoriter relata commemorantur; cuiusmodi est quod legitur Metaph. I, 9, p. 992 A, ubi corporum dimensiones et elementa tangens, *στερεὸν, ἐπίπεδον, γραμμὴν, στιγμὴν*, quaerit cum alia tum hoc: *ἔτι αἱ στιγμαὶ ἐκ τίνος ἐνυπάρξουσιν; τούτῳ μὲν οὖν τῷ γένει καὶ διεμάχετο* Πλάτων, *ὡς ὄντι γεωμετρικῷ δόγματι, ἀλλ' ἐκάλει ἀρχὴν γραμμῆς.* Sensus est, Platonem quaestionem de natura et origine *τῆς στιγμῆς*, *puncti*, removisse ut dogma geometricum, non philosophicum. Impf. *διεμάχετο* significat *repugnare solebat*, quo indicatur ab Aristotele hic intelligi disputationes hac de re a Platone habitas quas memoria sibi suggereret, non scripta dogmata. [1])

Verum ad *ἄγραφα* referendas opinor *διαιρέσεις*, quarum et ab Aristotele et in Epistola XIII fit mentio. Aristoteles de Generat. et Corrupt. II, 3, p. 330 B, tradit rerum elementa ab aliis unum statui, ab aliis duo, ab aliis tria, cet.; qui duo ponunt, dicit, ut Parmeni-

---

1) Vid. Trendelenburg, libro laud. p. 66.

des, media horum faciunt *μίγματα* ex ambobus illis conflata; *ὡσαύτως δὲ*, addit, *καὶ οἱ τρία λέγοντες, καθάπερ Πλάτων ἐν ταῖς διαιρέσεσιν· τὸ γὰρ μέσον μίγμα ποιεῖ.* Quorsum spectant hae *διαιρέσεις*? Quod hic memoratur *μίγμα* quadrat plane cum iis quae in Timaeo (p. 50—52) de mundi elementis scripta sunt, ubi haec tria distinguuntur: ideae, res aspectabiles, et *ἡ μεταξὺ τούτων φύσις*, h. e. materies media inter ambo illa et amborum consors, quam Aristoteles pro suo loquendi usu apte *μίγμα* appellare potuit. Ex ipsis tamen verbis *Πλάτων ἐν ταῖς διαιρέσεσιν* apertum est Aristotelem certum librum vel commentarium ob oculos habere, qui Platonis nomine ferretur. Quo autem hic titulus spectet, interpretes veteres aeque ac recentiores dubitant.

Alexander Aphrodisius testimonio Ioannis Philoponi ad h. l. [1]) declaravit, *τὰς φερομένας Πλάτωνος διαιρέσεις νοθεύεσθαι*, conjecitque Aristotelis verba ad ea quae in Sophista leguntur spectare. Contra quae Philoponus dicit: *ἰστέον δ᾽ ὅτι πρῶτον μὲν διαιρέσεις Πλάτωνος ὅλως ἐπιγεγραμμέναι οὐ φέρονται, ἐν δὲ τῷ Σοφιστῇ οὐδὲν φαίνεται τοιοῦτον ὁ Πλάτων λέγων οἷον εἴρηται ἐνταῦθα*: posterius sane verum [2]); denique addit, probabilius sibi videri quod Alexander ultimum posuit, *φάσκων περὶ τῶν ἀγράφων δογμάτων λέγειν τὸν Ἀριστοτέλην, ἅπερ αὐτὸς Ἀριστοτέλης ἀπεγράφετο, καὶ ταῦτα καλεῖν διαιρέσεις.* Notemus quae his dictis contineantur. Alexander Aphrodisius contendit, quae sua aetate (vixit autem ineunte sae-

1) Io. Philoponi locum integrum descripsit Brandis. l. l. p. 12.

2) Aeque errat Trendelenburgius, libro laud. p. 19, quum h. l. ab Aristotele significari putat quae de animi natura et elementis leguntur in Timaeo p. 35: ibi enim sermo est de elementis universi.

culo tertio) ferrentur Πλάτωνος διαιρέσεις spurias esse; Philoponus, qui ducentis amplius annis post vixit, dicit librum Platonis hoc titulo ne exstare quidem; ambo denique probabile existimant, διαιρέσεις referendas esse ad τὰ ἄγραφα δόγματα, quae Aristoteles (aliusve auditorum) e Platonis scholis excerpsisset. Ultimum hoc apparet e conjectura poni, unde effici potest, opinor, neutrum illorum librorum, nec διαιρέσεις neque ἄγραφα δόγματα, illis cognitum fuisse.

Brandisius (p. 12) opinatur Aristotelem ταῖς διαιρέσεσιν intelligere librum a se scriptum περὶ τἀγαθοῦ, in quo scholas Platonis exposuisset et quorum partem efficerent διαιρέσεις. Id tamen ex ipso titulo parum est probabile, et praeterea notitia libri περὶ τἀγαθοῦ etiam incertior et obscurior est quam διαιρέσεις, ut mox ostendam.

Suckovius eandem amplectitur quam Alexander sententiam, statuens ταῖς διαιρέσεσιν intelligendas esse disputationes a Platone in scholis habitas, quas Aristoteles ipse sibi chartis mandasset. [1]) Contra quam opinionem id tantum animadvertendum habeo, verbis καθάπερ Πλάτων ἐν ταῖς διαιρέσεσι manifeste significari librum vel commentarium Platonis nomine editum, sive ab ipso esset profectus sive ab aliquo auditorum e magistri scholis conflatus; non vero commentarium aliquem, quem Aristoteles e magistri ore exceptum suos in usus scripsisset. Hoc si

1) Sückow, Ueber die wiss. u. kunstl. Form der Platon. Schr. Verba eius sunt haec, p. 97: „Daher bleibt uns nur die Annahme übrig, dass Aristoteles in jenen Worten auf mündliche Vorträge Platons und dabei zugleich auf seine eigene schriftliche Aufzeichnung derselben, deren theilweise Erhaltung wir dem Diogenes Laërtius verdanken, hingewiesen habe."

voluisset, scripsisset saltem, opinor: καθάπερ ἐν ταῖς Πλάτωνος διαιρέσεσιν. Cum hoc congruit, quod fugit Brandisium et Suckovium, quod commentarius eodem titulo ut Platonis citatur in Plat. Epist. XIII, p. 360 B: τῶν τε Πυθαγορείων πέμπω σοι καὶ τῶν διαιρέσεων: ergo huic quoque scriptori innotuit liber διαιρέσεις inscriptus Platoni tributus; quare dubitari credo non posse, quin sub Platonis nomine talis commentarius olim in Academia notus fuerit.

Ad eundem libellum spectare mihi videtur Aristotéles Metaph. IV, 11, p. 1019 A, ubi agens de vario significatu vocabulorum πρότερα et ὕστερα, haec addit: τὰ μὲν δὴ οὕτω (scil. ut in praegressis monui) λεγόμενα πρότερα καὶ ὕστερα, τὰ δὲ κατὰ φύσιν καὶ οὐσίαν, . . . ᾗ διαιρέσει ἐχρήσατο Πλάτων: h. e. a Platone πρότερα vocata esse κατ' οὐσίαν, i. e. τὰ ὄντα; ὕστερα autem κατὰ φύσιν, i. e. τὰ γεννητά. Quae conspirant cum iis quae leguntur in Timaeo, ubi τὰ αἰσθητὰ δεύτερον tenent locum. Vid. Tim. p. 52 A.

Quid autem illae διαιρέσεις continuerint vel ex ipso vocabulo efficere licet. Fuerunt *partitiones*, quibus res in diversa genera, species, classes, gradus, certis vocabulis designata, dividerentur. [1]) Quam utiles sint et necessariae istiusmodi partitiones ad justam rerum cognitionem, in Phaedro docet Socrates, p. 265 sq., ubi ipse τούτων τῶν διαιρέσεων καὶ ξυναγωγῶν ἐραστὴν se profitetur (p. 266 B). Eodem sensu rhetorum libri de topicis vocabantur διαιρέσεις [2]); item in historia animalium

1) Hoc sensu vocabulo utitur Plato Sophist. p. 253 C, 264 C: τῶν κατ' εἴδη διαιρέσεων.

2) Vid. Ernesti Lexicon Technolog. in voce.

ab Aristotele memorantur *αἱ γεγραμμέναι διαιρέσεις*, h. e. partitiones animantium in aquatica, terrestria, aëria (De part. anim, I, 2).[1] Fuerit igitur libellus noster quasi technologia quaedam philosophica, continens definitiones vocabulorum ad dialectica, ethica, physica pertinentium, sive e Platonis sermonibus sive e dialogis depromtas, cuius generis Sophista, Philebus, Timaeus satis magnam copiam suppeditant. Exempla modo ex Aristotele prolata cum hac explicatione plane quadrant. Ecce vero longam huiusmodi partitionum seriem ad ethica, politica, dialectica, rhetorica aliaque spectantium offert nobis Laërtius in Vita Platonis, III, § 80—109. Incipit his verbis: *Διῄρει δὲ (ὁ Πλάτων), φησὶν ὁ 'Αριστοτέλης, καὶ τὰ πράγματα τοῦτον τὸν τρόπον*, et clauditur hisce: *ὧδε καὶ τὰ πρῶτα διῄρει κατὰ τὸν 'Αριστοτέλην.* Habemus igitur hic, secundum Diogenem, ipsum illum librum *διαιρέσεων* quem in manibus habuit Aristoteles; dubitari tamen nequit non esse germanas istas *διαιρέσεις*, sed eas potius quas *νοθεύεσθαι* dixit Alexander, qui liber aliquanto tempore post Diogenem (saec. 4[to]) e doctorum manibus evanuerit, ut Philoponum modo audiebamus testantem, quum sua aetate ne commentarium quidem hoc titulo exstitisse affirmat (supra p. 219).

Praeter *διαιρέσεις* in Epistola XIII etiam mentio fit *τῶν Πυθαγορείων*. Quid intelligitur hoc titulo? Credi posset significari Platonis Timaeum, in quo dialogo philosophus ille Pythagoreus, cuius nomine inscriptus est, primas agit partes, quemadmodum ceteri dialogi, in qui-

---

1) Hoc loco Speusippi *διαιρέσεις*, quae a Laërtio inter huius opera citantur, significari perperam conjecit Suckovius l. l.

bus Socrati primae tributae sunt, ab epistolographo Σωκράτειοι λόγοι vocantur (p. 363 A). In eodem dialogo multa leguntur quae e Pythagoreorum doctrina sunt desumta; e. g. quae disputantur de animi elementis secundum mathematicas et musicas rationes compositis, p. 34—37; de septem mundi sphaeris, p. 39—40; de figuris mathematicis, quas singula elementa referant, p. 54—26. Vid. Stallbaumii Prolegom. ad Tim. p. 37. Tamen haud scio an etiam hoc titulo potius commentarius aliquis Platonis nomine editus significetur. Simplicius ad Aristot. de Anim. fol. 6 B, narrat exstitisse Aristotelis commentarium περὶ τἀγαθοῦ, quem eundem περὶ φιλοσοφίας inscriptum fuisse, quo continerentur Pythagoreorum et Platonis placita de ideis. Verba eius haec sunt: περὶ φιλοσοφίας νῦν λέγει τὰ περὶ τἀγαθοῦ αὐτῷ (scil. Ἀριστοτέλει) ἐκ τῆς Πλάτωνος ἀναγεγραμμένα ξυνουσίας, ἐν οἷς ἱστορεῖ τάς τε Πυθαγορείους καὶ Πλατωνικὰς περὶ τῶν ὄντων δόξας. Eadem leguntur apud Philoponum ad h. l., quibus adjiciatur Suidas in voce ἀγαθ. δαιμ. (Vol I, col. 36. ed. Bernh.). Saepe hic liber περὶ τἀγαθοῦ citatur ab Aristotelicis et Platonicis (quorum testimonia congessit Brandisius libr. laud. p. 3—8 et p. 11), verum tam obscure, ut, utrum illorum relationes e fama an certis e monumentis ductae et proditae sint, dubites [1]) quare ex illorum, narrationibus certi quid statuere non licet. Maxime memorabile mihi vi-

1) Ex interpretibus qui citant commentarium περὶ τἀγαθοῦ, Brandisius putat neminem praeter Alexandrum Aphrodisium hunc in manibus habuisse (libr. laud. p. 4). Trendelenburgius autem (l. l. p. 29) etiam huius relationibus de hoc opere caute nobis utendum esse monet, quippe qui nusquam ipsa Aristotelis verba afferat.

detur de hoc Aristoxeni testimonium, qui in Harm. Element. l. II init. [1]) haec refert: Καθάπερ Ἀριστοτέλης ἀεὶ διηγεῖτο τοὺς πλείστους τῶν ἀκουσάντων παρὰ Πλάτωνος τὴν περὶ τἀγαθοῦ ἀκρόασιν παθεῖν· προσιέναι μὲν γὰρ ἕκαστον ὑπολαμβάνοντα λήψεσθαί τι τῶν νομιζομένων τούτων ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν . . . ; ὅτε δὲ φανείησαν οἱ λόγοι περὶ μαθημάτων καὶ ἀριθμῶν καὶ γεωμετρίας καὶ ἀστρολογίας καὶ τὸ πέρας ὅτι τἀγαθόν ἐστιν ἕν, παντελῶς οἶμαι παράδοξον ἐφαίνετο αὐτοῖς. „Aristoteles, dicit, *narrare solebat* (haec est vis imperfecti διηγεῖτο), plerisque eorum qui Platonem audirent *de bono* disserentem hoc accidisse: opinabantur se audituros dicentem de iis quae vulgo bona ab hominibus putantur, sed quum de mathematicis et de astronomia et de uno ratiocinari inciperet, exspectatio eorum mirifice frustrata est." Aristoxenus hic non scriptum Aristotelis librum e Platonis scholis de bono derivatum, sed tantum sermones eius hac de re refert. Itaque hunc locum si cum prioribus comparamus, probabile fit Platonem in sermonibus περὶ τἀγαθοῦ etiam mathematica et Pythagorica tetigisse atque inde fluxisse commentarios quosdam continentes Πυθαγόρεια, quae in Epistola tanquam Platonis ὑπομνήματα memorantur.

Ex iis quae exposui hoc efficitur. Aristotelis aetate et proximo deinceps tempore doctorum manibus tritum fuisse commentarium Platonis nomine insignitum, cui titulus esset ἄγραφα δόγματα; alium, prioris fortasse partem, inscriptum διαιρέσεις: fortasse etiam alios περὶ τἀγαθοῦ, περὶ φιλοσοφίας, περὶ Πυθαγορείων inscrip-

---

1) Locum citat Schürmann, de Deo Platon. p. 20. Invenitur in Meibomii Antiq. music. auct. septem, I, p. 30.

tos, quibus continerentur decreta et definitiones e Platonis sive scholis sive dialogis depromta; horum autem commentariorum simile fatum fuisse ac τῶν διαιρέσεων, quae, ut modo vidimus, cito evanuerunt inque eorum locum deinde spuria supposita sunt, quae tandem ipsa quoque in oblivionem venerunt.

Ceterum Epistolarum loci in his capitibus a nobis tractati, de scientia, de philosophandi methodo, de sapientiae arcanis, manifeste arguunt scriptorem Platonica quidem lectione tinctum et coloratum, sed mentis eius et doctrinae expertem, disserendi rudem, specimen denique hominis, qualem ipse describit (Ep. VII, p. 343 E), qui videatur μηδὲν γιγνώσκειν ὧν ἂν ἐπιχειρῇ γράφειν ἢ λέγειν. Haec satis valere opinor ad reprobandam eorum opinionem, qui Epistolam VII alicui Platonis familiarium vel discipulorum, Speusippo, Xenocrati, aliive eius aetatis adjudicandam esse opinati sunt.

CAPUT IX.

DE EPISTOLARUM, PRAECIPUE III^{ae} et VII^{ae}, PROPOSITO. DE PLATONIS OBTRECTATORIBUS.



Supra jam animadvertimus, quod neminem qui has epistolas attento animo perlegerit fugere potest, earum plerasque, praecipue vero VII^{am} et III^{am}, continere laudationem Platonis vel potius defensionem, qua tum alia tum maxime eius itinera Syracusas suscepta et commercium quod ei cum altero Dionysio fuit ab invidorum reprehensionibus vindicantur. Operae pretium puto id accuratius ostendere et simul indicare, cuiusmodi et quorumnam fuerint istae vituperationes, quae scribendae huius apologiae ansam dederint.

In exordio Epistolae VII Plato commemorat causam cur a republica abstinuerit. Dicit id se fecisse non sua voluntate, sed adversis temporibus et corruptis civitatis moribus coactum. *Νέος ὢν*, inquit, *ῴήθην, εἰ θᾶττον ἐμαυτοῦ γενοίμην κύριος, ἐπὶ τὰ κοινὰ· τῆς πόλεως εὐθὺς ἰέναι* (p. 324 B); sed ab hoc proposito sum deterritus insecuta XXX virorum dominatione. His expulsis idem me studium traxit: *βραδύτερον μὲν, εἶλκε δέ με ὅμως ἡ περὶ*

τὸ πράττειν τὰ κοινὰ καὶ πολιτικὰ ἐπιθυμία (p. 325 A). Sed quae mox evenit injusta Socratis damnatio, tum demagogorum importunitas et increscens morum depravatio, haec me τὸ πρῶτον πολλῆς μεστὸν ὄντα ὁρμῆς ἐπὶ τὸ πράττειν τὰ κοινὰ represserunt (ibid. D). Ita factum ut non desisterem quidem cogitare, quomodo res civitatis emendari possent, sed ut agendi occasionem semper exspectarem: ὥστε με ... τοῦ μὲν σκοπεῖν μὴ ἀποστῆναι, πῇ ποτ' ἄμεινον ἂν γίγνοιτο, ... τοῦ δὲ πράττειν αὖ περιμένειν ἀεὶ καιρούς. (ibid. E). Postremo perspicere coepi, nullum mali remedium fore nisi ἢ τὸ τῶν φιλοσοφούντων ... γένος εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικάς, ἢ τὸ τῶν δυναστευόντων ἐν ταῖς πόλεσι ... ὄντως φιλοσοφήσῃ (p. 326 B).

Dubitari nequit quin scriptor his responderit vituperationi eorum, qui aegre ferrent philosophum in otio de disciplina, de moribus et de legibus disserentem fori lucem fugere et a muneribus negotiisque gerendis abstinere: quorum obtrectatorum criminationes ipse Plato in libro VI de Rep. e persona Adimanti commemorat. Aperte id indicat in Epistola V, p. 322 A, ubi haec scribit ad Perdiccam: ἐὰν δέ τις ἀκούσας ταῦτ' εἴπῃ· Πλάτων, ὡς ἔοικε, προσποιεῖται μὲν τὰ δημοκρατίᾳ ξυμφέροντ' εἰδέναι, ἐξὸν δ' ἐν τῷ δήμῳ λέγειν καὶ ξυμβουλεύειν αὐτῷ τὰ βέλτιστα, οὐ πώποτ' ἀναστὰς ἐφθέγξατο· πρὸς ταῦτ' εἰπεῖν, ὅτι Πλάτων ὀψ' ἐν τῇ πατρίδι γέγονε καὶ τὸν δῆμον κατέλαβεν ἤδη πρεσβύτερον καὶ εἰθισμένον ὑπὸ τῶν ἔμπροσθεν πολλὰ καὶ ἀνόμοια τῇ ἐκείνου ξυμβουλῇ πράττειν. „Si quis objiciat Platonem scientiam quidem prae se ferre rerum civilium, sed, quum liceat ei palam in civitate verba facere et consilia dare, id refugere, huic responde: Plato quum ad rempublicam accessit, populum

reperit jam senescentem et a prioribus ducibus corruptum, ut ipsius consiliis aurem praebere nollet." Eodem spectant quae in hac ipsa Epistola leguntur, p. 330 D, consilia non danda esse nec privatis hominibus nec civitatibus, nisi dignos iis se praebeant iisque morem gerere se velle ostendant. Nec non ea quae in Epistola IX Plato ad Archytam scribens inducitur, p. 358 A, quum eum hortatur ne in capessenda republica animum despondeat, quoniam non nobis solum nati simus, sed partem nostri amici, partem parentes, partem quoque patria sibi vindicet; addit, multa tamen pendere a cuiusque vitae temporibus: *πολλὰ δὲ καὶ τοῖς καιροῖς δίδοται τοῖς τὸν βίον ἡμῶν καταλαμβάνουσιν*: quae haud obscure spectant ad tempora quae sibi obtigisse philosophus initio Epistolae VII scribit.

Longe vero maxima epistolae pars refertur ad itinera. Ostendit se primum in Italiam profectum esse taedio legum et morum civitatis; inde, non consilio, sed forte in Dionysii aulam delatum in notitiam venisse Dionis; iterum huius hortatu se illuc profectum esse invitante ipso Dionysio, ut ei injiceret *ἐπιθυμίαν τοῦ καλλίστου καὶ ἀρίστου βίου* et ita Syracusis ac toti Siciliae saluti esset; tertio denique, ut Dionem exsulantem tyranno reconciliaret et, quod antea frustra tentasset, eum philosophiae cultu formaret. His exponendis scriptor ostendit et justas sibi ac graves fuisse causas Syracusas proficiscendi et in commercio cum Dionysio et Dione nihil se spectasse nisi quod et amicitiae officium et philosophiae dignitas postularent. Hoc consilio narrationem illam conscriptam esse ipsa Epistolae verba passim haud obscure indicant.

Postquam de primo itinere ad Dionysium minorem exposuit, haec subjicit p. 330 C: ὧν δ' ἕνεκα (πάλιν ἀπεδήμησα εἰς Συρακούσας) καὶ ὅσ' ἔπραξα ὡς εἰκότα τε καὶ δίκαια ... ὕστερον διέξειμι, h. e. „quibus rationibus impulsus sim ut iterum Syracusas proficiscerer, atque quae in Dionysii aula feci honesta et justa fuisse, postea demonstrabo." Similiter quum ad alterum iter transit, haec praemittit: ἡ δ' ὑστέρα πορεία τε καὶ πλοῦς ὡς εἰκότως θ' ἅμα καὶ ἐμμελῶς γέγονεν, ᾧ μέλει ἀκούειν ἔξεστι τὸ μετὰ τοῦτο. p. 337 E. Denique omnibus enarratis librum claudit his verbis: ὧν δ' ἐπανέλαβον ἕνεκα τὴν εἰς Σικελίαν ἄφιξιν τὴν δευτέραν, ἀναγκαῖον εἶναι ἔδοξέ μοι ῥηθῆναι δεῖν διὰ τὴν ἀτοπίαν καὶ ἀλογίαν τῶν γενομένων (λεγομένων?)· εἰ δ' ἄρα τινὶ τὰ νῦν ῥηθέντ' εὐλογώτερ' ἐφάνη καὶ προφάσεις πρὸς τὰ γενόμενα ἱκανὰς ἔχειν ἔδοξέ τῳ, μετρίως ἂν ἡμῖν καὶ ἱκανῶς εἴη τὰ νῦν εἰρημένα. Nonne his verbis diserte indicat, ideo haec a se scripta esse, ut facta sua εὐλογώτερα viderentur quam vulgo homines putarent? Neque immerito. Ipse non omni culpae suspicione vacare se fatetur p. 445 D. „Quum tertio, inquit, re infecta a Dionysio discederem, ἐδόκει δὴ χαλεπαίνειν μὲν οὐ δεῖν ἐμὲ Διονυσίῳ μᾶλλον ἢ ἐμοί τε καὶ τοῖς βιασαμένοις ἐλθεῖν τὸ τρίτον: „videbar mihi non tam illi debere irasci quam mihimet ipsi et iis a quibus ad id essem impulsus." Et alibi asseverat necesse esse ut se defendat, nisi justis accusationibus obnoxius esse velit, p. 339 A: δίκαιος δή εἰμι λέγειν τἀληθῆ καὶ (leg. ἢ) ὑπομένειν, ... εἴ τις ἄρα τὰ γεγονότ' ἀκούσας καταφρονήσει τῆς ἐμῆς φιλοσοφίας: „oportet me aut vera dicere aut ferre si quis rumores audiens meam philosophiam contemnat."

Si ipse ita sentiebat, quid mirum si a multis propter itinera ista vituperatus est aut derisus? Si Euripidi vitio datum est quod Archelai Macedoniae regis hospitium sequebatur, quanto acrius offendere debuit quod Plato, vir doctrina, sapientia, generis splendore insignis, ad Syracusarum tyrannos diverteret? Omnium enim tyrannorum maxime Dionysios ob potentiam aeque atque ob superbiam et importunitatem Graecis invisos fuisse, ex historia notum est [1]). Qui igitur sic ut Plato horum tyrannorum gratia floreret, quomodo is civium invidiam evitare potuisset? Accedit quod indecorum videbatur, philosophum, qui mentem maxime rebus divinis intentam haberet, istiusmodi hominum hospitio uti, quorum luxuria et libido in proverbium abierant. [2])

Laërtius dictum nobis servavit Molonis cuiusdam, Platonis, ut videtur, aequalis (III, § 34. cf. Menag. Obs. p. 151), unde discimus revera fuisse qui Platonem ideo culparent: *οὐ τοῦτο*, inquit, *θαυμαστὸν, εἰ Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ, ἀλλ' εἰ Πλάτων ἐν Σικελίᾳ*: „non tam mirandum quod tyrannus regno pulsus Corinthi exsularet, quam quod princeps philosophus tyranni aulam visitasset." Atque istiusmodi reprehensionem respicere epistolographus

1) Insigne huius odii documentum editum est ludis Olympiis a. 384, ubi Dionysii theoria, instigante Lysia oratore, e conventu pulsa, tentoria, currus, dona quae attulerat cremata sunt. Rem enarrat Grote, Hist. of Greec. vol. XI, p. 31. Etiam Dio, quum a tyranno e Sicilia ejectus esset ab Atheniensibus benigne exceptus et ab omnibus Graeciae civitatibus magno honore est habitus.

2) Cuius rei meminit Epistola VII, p. 326 B: *βίος ... Ἰταλιωτικῶν καὶ Συρακοσίων τραπεζῶν πλήρης*. et p. 336 D: *τὸν μὴ δυνάμενον Δωριστὶ ζῆν ..., διώκοντα δὲ ... τὸν Σικελικὸν βίον*.

videtur, quum scribit: *ἦλθον ὑπὸ τυραννίδα δοκοῦσαν οὐ πρέπειν τοῖς ἐμοῖς λόγοις οὐδ' ἐμοί* (p. 329 B). Plerique enim qui illam aulam adibant id faciebant lucri vel deliciarum cupidine pellecti, e quo genere fuerunt Aristippus, Philistus, Philoxenus [1]), alii; num mirandum si de Platone eandem habebant opinionem ac parum honestis causis itinera illa tribuebant? Fuerunt qui eum in Siciliam profectum esse dicerent *ἐπὶ χρήμασι καὶ τραπέζῃ*, ut narrat Themistius, Orat. XVII, p. 215 [2]), cui ipsi vituperationi respondent verba Epist. VII, p. 326 B: *ἐλθόντα δέ μ' ὁ ταύτῃ λεγόμενος αὖ βίος εὐδαίμων, Ἰταλιωτικῶν τε καὶ Συρακοσίων τραπεζῶν πλήρης, οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἤρεσεν.* Non sine causa Syracusanarum mensarum opulentiam ibi tam acerbe notat, sed haud dubie ad malignos rumores respexit, ut animadversum est ab Hermanno in libro laud. p. 116. Alii eum lucri studio ductum fuisse dictitarunt, arguentes nimirum quod Dionis impensis choregiam praestitisset (Plutarch. Arist. c. 1), vel quod libros emisset pecunia a Dionysio accepta (Gell. N. A. III, 17). Hanc quoque calumniam Epistola VII repellit, ubi legimus Platonem pecuniam et honores a tyranno sibi oblata sprevisse et amicitiae jus auro vendere noluisse, p. 334 B: *Φημὶ γὰρ κἀκεῖνον Ἀθηναῖον εἶναι, ὃς οὐ προὔδωκε τὸν αὐτὸν τοῦτον (Δίωνα), ἐξὸν χρήματα καὶ ἄλλας τιμὰς πολλὰς λαμβάνειν.* Idem in Epist. III, p. 318 D, dicitur his verbis: *κακὸς γὰρ ἂν ἔχοντί γε νοῦν ἀνδρὶ φαινοίμην ἐνδίκως, πεισθεὶς ὑπὸ τοῦ*

1) De Philoxeni commoratione apud Dionysium videatur Schol. ad Aristoph. Plutum, vs. 290.

2) Idem testantur scriptor Epist. Xenoph. I. ceterique scriptores quos laudavit Hermann. ll. p. 116, not. 133.

μεγέθους τῆς σῆς ἀρχῆς ... τοῦτον προδοῦναι, σὲ δὲ τὸν ἀδικοῦνθ' ἕλεσθαι καὶ πᾶν δρᾶν ὅπῃ · σὺ προσέταττες, ἕνεκα χρημάτων δῆλον ὅτι· οὐδὲν γὰρ ἂν ἕτερον ἔφησεν αἴτιόν τις εἶναι τῆς ἐμῆς μεταβολῆς (cf. Ep. II, p. 312 C): ubi illud ἔφησέ τις ἂν ad pervulgatos rumores respicere non obscurum est.

His autem rumoribus Epistola veram opponit causam cur Plato Siciliam adierit, nempe ut ostenderet se non tantum dicendi peritum esse, sed paratum etiam ad agendum, h. e. ad civitatis negotia tractanda, p. 328 C: ταύτῃ μὲν δὴ τῇ διανοίᾳ τε καὶ τόλμῃ ἀπῆρα οἴκοθεν, οὐχ ᾗ τινὲς ἐδόξαζον, ἀλλ' αἰσχυνόμενος μὲν ἐμαυτὸν τὸ μέγιστον, μὴ δόξαιμί ποτ' ἐμαυτῷ ἐν λόγοις μόνον ἀτεχνῶς εἶναί τις, ἔργου δ' οὐδενὸς ἄν ποθ' ἑκὼν ἀνθάψασθαι. Proficiscendo Syracusas justo erga philosophiam officio se fungi putabat (p. 329 B): ἐλθών τ' ἐμαυτὸν ἠλευθέρωσα Διὸς ξενίου καὶ τῆς φιλοσόφου ἀνέγκλητον μοίρας παρέσχον: nempe ut formando principe et condendis legibus philosophiam etiam populo acceptam et honoratam redderet, ἵνα μοι τιμῷτο φιλοσοφία καὶ παρὰ τῷ πλήθει. Epist. II, p. 312 A.

Quod autem ad consuetudinem eius cum Dionysio attinet, ipse commemorat passim varias criminationes et rumores ab inimicis falso sibi oblata. In his primum locum tenent διαβολαὶ adversariorum, qui Dionem tyranno in suspicionem adduxerunt quasi illius regno insidiaretur. Neque Plato immunis perhibebatur huius consiliorum; accusabatur, quod magis Dioni eiusque amicis, Heraclidi, Theodoti, aliis, faveret quam regi cuius fruebatur hospitio. Diserte hoc dicitur Epist. VII, p. 350 C, ubi Plato de Dionysio scribit: ἴσως ἡγεῖτο, διαβαλλόντων πολλῶν, ἐπιβουλεύειν ἐμὲ μετὰ σοῦ (Δίωνος) ἑαυτῷ

καὶ τῇ τυραννίδι. Quibuscum conferenda sunt quae scribit ibidem, p. 330 B, 333 A C, tum in Epist. III, p. 315 E, e quo loco apparet calumniatorum illorum principem Philistum fuisse. His addenda sunt quae leguntur Epist. VII, p. 349 E, ubi Dionysius Platoni exprobrat: ὅτι καλῶς οὐδαμῇ ποιεῖς Δίωνα καὶ τοὺς Δίωνος φίλους ἀεὶ περὶ πλείονος αὐτοῦ (scil. τοῦ Διονυσίου) ποιούμενος: quod salutem Dionis, Heraclidis, Theodotis ceterorumque tyranni inimicorum magis cordi haberet quam ipsius amicitiam et incolumitatem.

Alia spargebatur criminatio, quod Plato Dionysio suaderet ut imperiosius se gereret, quodque ei dissuaderet id ipsum quod postea Dionem ut faceret hortatus esset, ne Siciliae civitates in libertatem restitueret (p. 315 D). Ad hanc criminationem refutandam scripta est Epistola III, inde a p. 319 A, et eandem ob oculos habere videtur Epistola VII, p. 332 E, ubi Plato dicit tyranno se ostendisse, id maxime salutiferum fore, εἰ τὰς ἐξηρημωμένας Σικελίας πόλεις κατοικίσειε νόμοις τε ξυνδήσειε καὶ πολιτείαις.

Ceterum discidia et jurgia Platonem inter et tyrannum non intra regiae parietes contenta fuisse, sed in vulgus elata, eaque multis rumoribus ansam dedisse, cum per se credibile est, tum indicio est quod a Plutarcho narratur in Timol. c. 15. Legimus ibi Aristoxenum καί τινας ἄλλους, quo tempore Plato jam diem obierat, Dionysium Corinthi exsulantem adiisse et ex eo sciscitatos esse: ὅποθεν αὐτῷ καὶ τίς ἡ πρὸς Πλάτωνα γένοιτο μέμψις. Quibus ille respondisse fertur, adulatorum machinationibus se fructu, quem percipere e Platonis consuetudine potuisset, destitutum esse.

Neque mirandum si fuerunt qui Platoni id ipsum

crimini darent, quod tales viri, quales ambo Dionysii fuerunt, ipsius disciplina usi essent, sicut Socrati objecit Polycrates quod Critiam habuisset discipulum; alii, qui ludibrio eum haberent quod vir omnium sapientissimus a stolido tyranno ludi se passus esset. Indicat hoc scriptor Epistolae II, p. 312 A: *οἱ ἐπὶ τούτοις βοῶντες πολλοὶ ἦσαν, λέγοντες ὡς σὺ ἐμοῦ μὲν καταπεφρόνηκας, ἄλλα δ' ἐσπούδακας.* Imprimis memorabilis hac de re locus legitur apud Aelium Aristidem, *Ὑπὲρ τῶν τεττάρων*, p. 300 sqq. Dind., ubi hic rhetor loquentes facit Periclem, Cimonem, Miltiadem et Themistoclem, quibus Plato in Gorgia exprobravit quod eorum ductu Athenienses ignavi et feroces redditi essent quodque eius feritatis ipsi effectus essent experti; eandem exprobrationem illi in Platonem rejiciunt. Quaerunt ex eo, quid Syracusarum tyranni ex eius consuetudine et consiliis profecerint et quo honore eum habuerint. [1]) Hanc vituperationem Epistola redarguit eo, quod Dionysius importunitate sua impedivisset quominus Plato eum philosophiae praeceptis erudiret. Eo spectat Epistolae III pars prior, in qua parte personatus Plato id sibi proponit, ut ostendat *ὡς εἰκότως σοι (Διονυσίῳ) ἔφυγον κοινωνεῖν περὶ τὰ τῆς πόλεως πράγματα* (p. 316 B. cf. Epist. VII, p. 345 A).

---

1) Locus Aristidis *Περὶ ῥητορ.* I, p. 17 extr. (cui addatur p. 167 sqq., 268 et 324 sqq.) est instar compendii diversarum reprehensionum quibus Plato propter suscepta itinera in Siciliam fuit obnoxius, quamquam rhetor ea potius ad Miltiadis ceterorumque excusationem quam ad Platonis vituperium a se prolata dictitat. Vid. *περὶ ῥητορ.* I, p. 98: *ἐγὼ γὰρ οὔτ' αὐτὸς ἔγκλημα δὴ τοῦτο ποιοῦμαι, εἴ ποι καὶ ὁπωσοῦν ᾠήθη δεῖν Πλάτων ἐλθεῖν ἡστινοσοῦν ἕνεκ' αἰτίας, οὐδ' ὅστις ἄλλος προσφέρει τι τοιοῦτον εὐφρονεῖν ἡγοῦμαι.* (cf. *Περὶ τῶν τεττ.* p. 309). Verba *οὐδ' ὅστις ἄλλος* indicant et alios fuisse qui ista Platoni imputarint.

Postremo tangit etiam libellos quosdam de philosophia a Dionysio editos, quos e Platonis institutione fluxisse falso quidam crederent. Mentio hac de re fit Ep. VII, p. 341 B: *ὕστερον δὲ καὶ ἀκούω γεγραφέναι αὐτὸν περὶ ὧν τότ' ἤκουσε, ξυνθέντα ὡς αὑτοῦ τέχνην οὐδὲν τῶν αὐτῶν ὧν ἀκούοι.* Dicit ibi librum, quem Dionysius de philosophia edidisset tanquam suum opus, nihil esse nisi *παρακοὴν*, ineptam expositionem eorum quae e Platone audivisset. Itaque scriptum illud, qualecunque sit, plane aspernatur: „Quisquis, dicit, de mea philosophia scripsit vel scripturus est eamque cognitam et perspectam habere sibi videtur, illum aio nihil ea de re sapere:" *τοσόνδε γε μὴν περὶ πάντων ἔχω φράζειν τῶν γεγραφότων καὶ γραψόντων, ὅσοι φασὶν εἰδέναι περὶ ὧν ἐγὼ σπουδάζω, .. τούτους οὐκ ἔστι κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν περὶ τοῦ πράγματος ἐπαΐειν οὐδέν.* Eundem libellum tangit in Epistola III, p. 316 A, et II, p. 314 B, ubi ad Dionysium scribit: *πρὸς ταῦτ' οὖν σκοπῶν εὐλαβοῦ, μή ποτέ σοι μεταμελήσῃ τῶν νῦν ἀναξίως ἐκπεσόντων.*

Haec praecipua sunt quae in Epistolis Platonis defendendi gratia dicuntur. Si quaerimus, quinam fuerint qui huiusmodi maledicta in Platonem conjecerint, istorum non unum fuit genus obtrectatorum.

Primum in censum veniunt poëtae comici, qui veluti innato odio omnes philosophos exagitare solebant, non minime offensi eo quod illi a publicis negotiis se recipientes forum et theatrum vitarent et in umbra delitescerent, quare ut *μετεωρολέσχαι* et lucifugae deridentur. Ita multi Platonem quoque riserunt ut superbum, morosum, inania aucupantem, quin etiam domesticam ejus

vitam et mores conviciis contaminarunt, eum gulae, deliciis et libidinibus indulsisse dicentes.

Horum primus fuit Aristophanes, qui, si vera est Meinekii sententia, [1]) Ἀριστύλλου nomine Aristoclem, quod Platoni nomen fuit, risit in Pluto vs. 314, item in Ecclesiazusis, ubi Platonicam Πολιτείαν in risum vertit. Deinde Epicrates, qui, teste Athenaeo, II, p. 54, eum in scenam produxit gravi vultu de cucurbita disputantem cum Speusippo et Menedemo. Tum Amphis in Dexidemide, in qua fabula eum refert istorum in numerum, quorum affectatam oris tristitiam ridet Juvenalis, qui corrugata semper fronte perambulant: ὦ Πλάτων ... ὥσπερ κοχλίας σεμνῶς ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς. (Diog. Laërt. III, § 28). Maxime vero exagitavit eum Alexis, qui plures composuit fabulas, quarum quatuor nominantur a Laërtio lib. III, § 27, Ἀγκυλίων, Μεροπίς, Ὀλυμπιόδωρος, Παράσιτος, in quibus Plato cum risu notatur. (Vid. Meineke, Hist. crit. Com. I, p. 380). Alii eum descripserunt tanquam hominem mollem, puerorum amoribus deditum, eiusque discipuli depinguntur ut adolescentes belli et delicati, fastus ac voluptatis magis quam philosophiae studiosi. Huc referuntur versus Ephippi in Naufrago, apud Athenaeum XI, p. 509 C, ubi describitur adolescens τῶν ἐξ Ἀκαδημείας τις ὑπὸ Πλάτωνος,

εὖ μὲν μαχαίρᾳ ξύστ' ἔχων τριχώματα,
εὖ δ' ὑποκαθιεὶς ἄτομα πώγωνος βάθη,
εὖ δ' ἐν πεδίλῳ πόδα τιθεὶς ὑποξύλῳ, κτέ.

Comicis poëtis haud mitiores Platonis aemuli fuere philosophi Socratici. Licet enim exaggerata sint quae de

1) Vid. supra, p. 125 sq.

invidia, qua inter se obtrectassent, apud Athenaeum et alios legimus (Vid. Luzac, Lectt. Att. 61—65; Hermann. Plat. Phil. p. 102 not. p. 104), dubitari tamen nequit, inter plerosque non fuisse magnam animorum consensionem, nonnullos etiam acri odio se invicem insectatos esse. Nec mirum. Quomodo enim inter homines non tantum genere et cultu, sed ingenio, moribus, vita tam dissimiles poterat esse animorum conjunctio? Plato autem ut genere et vitae dignitate, sic ingenii altitudine et eloquentia tantum omnes antecellebat, ut in hunc unum maxime invidiae tela conjicerent. In his autem Platonis obtrectatoribus praecipue nominandi sunt Aristippus et Antisthenes, quorum alter voluptaria indole, alter abjecto et humili ingenio tantum a Platonis *καλοκαγαθίᾳ* distabat, ut nulla facile inter eos potuerit esse consensio. Aristippus simul cum Platone Syracusana in aula versatus est, et plura memorantur dicteria unde, quae fuerit eorum erga se invicem voluntas, apparet. [2]) Hic unus fuisse videtur ex eorum numero qui Dionem et Platonem tyranno suspectos reddere conati sunt ob libertatem, qua Dionysii superbiae obsisterent et corruptas aulae mores emendare et a luxuria ad frugalitatem revocare conarentur. Memoratur liber eius *περὶ παλαιᾶς* (*Πλάτωνος* ?) *τρυφῆς*, in quo Platoni libidinem

---

1) Ceterum de Platonis amoribus, de eius gula ceterisque vitiis plura fabulantur Diogenes Laërtius, III, § 29 sqq. et Atheuaeus lib. VII, p. 276 et XIII, p. 589 C. — Etiam Dicaearchum Platoni libidinosos amores exprobrasse, testis est Cicero, Tuscul. IV, c. 34.

2) Diog. Laërt. II, § 61, 78, 81, 82; III, § 36. Plut. Vit. Dion. c. 19, Aristippus a Platone reprehendi videtur in Phaedone (p. 59 C.) quod Socrati morienti non adfuerit; quo spectat Laërtius II, § 65: *ἐκάκισεν αὐτὸν* (*τὸν Ἀρίστιππον*) *καὶ Πλάτων ἐν τῷ περὶ ψυχῆς*.

et lasciviam objecit (Laërt. III. § 29). Quam acerbe autem Antisthenes ei maledixerit, abunde patet e libello quem in eum scripsit, cui titulus erat Σαθών, parodia nominis Πλάτων (a σάθη, *membrum virile)*, quo significatur homo mollis, venereus, libidinosus.[1] Antisthenes a Platone notatus est ut ὀψιμαθής.

Accedunt his historiarum scriptores, quorum primus memorandus Philistus, non magis tyranni amicus quam tyrannidis, qui in Epist. III, p. 315 E, et apud Plutarch. Dion. cap. 11, 13 et 19, notatur tanquam princeps eorum quorum machinationibus Plato in Dionysii invidiam inductus esset. Nepos (Dion. c. 3) de illo haec scribit: „Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit valuitque eloquentia, ut ei persuaserit tyrannidis facere finem libertatemque reddere Syracusanis: a qua voluntate Philisti consilio deterritus est." Non mirum si hic postea sua peccata in Platonem transtulit, scribendo quod ille Dionysio dissuasisset Συρακουσίους ἐπικουφίσαι, τὴν ἀρχὴν ἀντὶ τυραννίδος εἰς βασιλείαν μετχστήσαντα: a quo crimine defenditur in Ep. III, p. 315 D, 319 A. Credibile sane hunc in historia quam scripsit illorum temporum, de Platonis cum Dionysio commercio parum honorifice locutum esse.

Omnium autem historicorum maledicentissimus Theopompus, is qui unum ex omnibus Socraticis laudasse fertur Antisthenem (Laërt. VI, § 14), acerrime in Platonem invectus est, ductus fortasse vetere simultate

---

1) Vid. Laërt. III, § 35, et Menag. ad h. l. p. 151; ibid. VI, § 3, 7. De Antisthenis cum Platone dissensione cfr. Dittrich, in Prolegom. ad Crat. p. 37 sq.

quae philosophum inter et magistrum ipsius Isocratem fuit. Quam aequus fuerit Platonis judex, apparet e libello quem edidit *κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς*, in quo ostendit Platonis dialogos esse *ἀχρείους καὶ ψευδεῖς* (Athen. XI, p. 508), eosque maxima pro parte ex Aristippi, Antisthenis et Brysonis scriniis compilatos esse. Ex quo colligere licet, quam aequum et integrum eius judicium fuerit de tempore a Platone in aula Syracusana transacto.

At non solum aequales, sed etiam posteri Platonem insectati sunt. Academiae celebritas et fama multorum excitavit invidiam, qui odium quo scholam persequebantur in ducem et auctorem verterunt. Inter auditores et amicos Platonis multi fuerunt principes et nobiles, quorum superbe aut imperiose facta magistro imputarunt, eodem nimirum jure, quo Critiae et Alcibiadis flagitia Socrati crimini data sunt ab adversariis. Athenaeus plures Platonis auditores nominat in quibus magistri indoles *τυραννικὴ καὶ διάβολος* apparuisset; idem narrat Platonem Philippo opem tulisse in potiundo regno Macedoniae, Perdicca fraude circumvento. [1]) Eidem imputarunt quod Callippus Dionem, hospitem suum et sodalem in Academia, interemisset (Athen. ll. p. 508). Hanc criminationem acriter refutat Epistola VII, p. 333 E, quae declarat Callippum eiusque fratrem Dionis sodales fuisse *οὐκ ἐκ φιλοσοφίας γεγονότε φίλω, ἀλλ' ἐκ*

---

1) Vid. Athenaeus XI, p. 508 et 506; qui testem huius narrationis citat Caristium Pergamenum, cui ipse tamen parvam hac in re fidem habet, addens: *τοῦτο δ' εἴπερ οὕτως ἀληθείας ἔχει, θεὸς ἂν εἰδείη.* Fuisse tamen commercium Platonem inter et Perdiccam, indicio est Epistola V scripta ad Perdiccam, quae quum maximam Platonis benevolentiam erga eum spiret, scripta est fortasse ad calumniam istam redarguendam.

et lasciviam objecit (Laërt. III. § 29). Quam acerbe autem Antisthenes ei maledixerit, abunde patet e libello quem in eum scripsit, cui titulus erat Σαθών, parodia nominis Πλάτων (a σάθη, *membrum virile)*, quo significatur homo mollis, venereus, libidinosus. [1]) Antisthenes a Platone notatus est ut ὀψιμαθής.

Accedunt his historiarum scriptores, quorum primus memorandus Philistus, non magis tyranni amicus quam tyrannidis, qui in Epist. III, p. 315 E, et apud Plutarch. Dion. cap. 11, 13 et 19, notatur tanquam princeps eorum quorum machinationibus Plato in Dionysii invidiam inductus esset. Nepos (Dion. c. 3) de illo haec scribit: „Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit valuitque eloquentia, ut ei persuaserit tyrannidis facere finem libertatemque reddere Syracusanis: a qua voluntate Philisti consilio deterritus est." Non mirum si hic postea sua peccata in Platonem transtulit, scribendo quod ille Dionysio dissuasisset Συρακουσίους ἐπικουφίσαι, τὴν ἀρχὴν ἀντὶ τυραννίδος εἰς βασιλείαν μετχστήσαντα: a quo crimine defenditur in Ep. III, p. 315 D, 319 A. Credibile sane hunc in historia quam scripsit illorum temporum, de Platonis cum Dionysio commercio parum honorifice locutum esse.

Omnium autem historicorum maledicentissimus Theopompus, is qui unum ex omnibus Socraticis laudasse fertur Antisthenem (Laërt. VI, § 14), acerrime in Platonem invectus est, ductus fortasse vetere simultate

1) Vid. Laërt. III, § 35, et Menag. ad h. l. p. 151; ibid. VI, § 3, 7. De Antisthenis cum Platone dissensione cfr. Dittrich, in Prolegom. ad Crat. p. 37 sq.

quae philosophum inter et magistrum ipsius Isocratem fuit. Quam aequus fuerit Platonis judex, apparet e libello quem edidit *κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς*, in quo ostendit Platonis dialogos esse *ἀχρείους καὶ ψευδεῖς* (Athen. XI, p. 508), eosque maxima pro parte ex Aristippi, Antisthenis et Brysonis scriniis compilatos esse. Ex quo colligere licet, quam aequum et integrum eius judicium fuerit de tempore a Platone in aula Syracusana transacto.

At non solum aequales, sed etiam posteri Platonem insectati sunt. Academiae celebritas et fama multorum excitavit invidiam, qui odium quo scholam persequebantur in ducem et auctorem verterunt. Inter auditores et amicos Platonis multi fuerunt principes et nobiles, quorum superbe aut imperiose facta magistro imputarunt, eodem nimirum jure, quo Critiae et Alcibiadis flagitia Socrati crimini data sunt ab adversariis. Athenaeus plures Platonis auditores nominat in quibus magistri indoles *τυραννικὴ καὶ διάβολος* apparuisset; idem narrat Platonem Philippo opem tulisse in potiundo regno Macedoniae, Perdicca fraude circumvento. [1]) Eidem imputarunt quod Callippus Dionem, hospitem suum et sodalem in Academia, interemisset (Athen. ll. p. 508). Hanc criminationem acriter refutat Epistola VII, p. 333 E, quae declarat Callippum eiusque fratrem Dionis sodales fuisse *οὐκ ἐκ φιλοσοφίας γεγονότε φίλω, ἀλλ' ἐκ*

1) Vid. Athenaeus XI, p. 508 et 506; qui testem huius narrationis citat Caristium Pergamenum, cui ipse tamen parvam hac in re fidem habet, addens: *τοῦτο δ' εἴπερ οὕτως ἀληθείας ἔχει, θεὸς ἂν εἰδείη.* Fuisse tamen commercium Platonem inter et Perdiccam, indicio est Epistola V scripta ad Perdiccam, quae quum maximam Platonis benevolentiam erga eum spiret, scripta est fortasse ad calumniam istam redarguendam.

τῆς περιτρεχούσης ἑταιρείας ταύτης τῆς τῶν πλείστων φίλων.

Hic igitur fuit fetus obtrectatorum et calumniatorum, qui Platonis vitam, mores, philosophiam atro carbone notarunt et justam apologiae praebuerunt materiem. Quam scite vero et apte defensoris munere functus sit Epistolae scriptor, jam passim animadvertimus. Quod autem ad consuetudinem Platonis cum Dionysio attinet, nulla potest esse praeclarior defensio quam exsulantis tyranni testimonium, quod legitur apud Plutarchum, Timol. c. 15, qui rogantibus quibusdam, quid utilitatis e philosophi consuetudine cepisset, respondit: οὐδέν σοι δοκοῦμεν ὑπὸ Πλάτωνος ὠφελεῖσθαι, τύχης μεταβολὴν οὕτω φέροντες; „nihilne tibi e Platonis institutione profecisse videmur, qui fortunae mutationem tam placide ferimus?"

Jam ad finem pervenit nostra disquisitio. Ut praecipua rerum capita paucis comprehendam, summa haec est.

Tredecim quae feruntur Platonis Epistolae, etsi argumento et colore dissimiles, cognatam tamen aut vicinam produnt originem. Omnes vultum et habitum referunt a Platonis ingenio et moribus diversum. Praecipua tam rerum copia quam orationis cultu est VII[a], quae materiem fere continet e qua ceterae sint effectae. Proxime ad hanc accedunt III[a] et VIII[a], quae illi ita similes sunt ut ab uno artifice potuerint esse confectae.

Si aetas earum et origo quaeritur, e scriptorum testimoniis probabili ratione colligi potest eas, pro parte saltem, jam Aristophani grammatico innotuisse atque adeo ante medium saeculum III a. C. exstitisse.

Argumentum, compositio, oratio epistolarum eiusmodi sunt, quae declamatorium dicendi genus et rhetoricam palaestram redoleant. Res quae tractantur fictioni potius quam veritati similes, exordia quaesita, longae et crebrae egressiones, panni inepte assuti, compositio artificiosa nec proposito apte congruens. Oratio ad Platonis exemplum conformata, sed ita, ut diligens spectator facile fucatum nitorem, non naturalem agnoscat. Ubivis vestigia apparent imitationis vel verborum vel dictionum vel sententiarum, tam crebra, ut Epistola VII revera sit centoni similis e Platonis scriptis concinnato; his autem asperguntur passim maculae, sordes, negligentiae a sanitate et puritate Attici sermonis prorsus abhorrentes.

Quod ad res attinet, sunt in iis nonnulla quae scriptorem parum diligentem, imo in rebus Atheniensium paene hospitem arguant; quae autem Platonem tangunt, pauca continent Epistolae quae non ab aliis quoque scriptoribus relata fuerint; quae propria habent, minuta sunt et pleraque commentis similia. Sapientiae denique Platonicae talem adumbrant effigiem, in qua non germana viri philosophia, sed simulacrum potius, Pythagoricis commentis deformatum, appareat.

His rationibus efficitur, Epistolas opus esse habendas otiosi hominis vel rhetoris φιλοπλάτωνος, sive unius sive plurium, qui lectione illius imbutus et oratione coloratus Platonis nomine apologiam scribere sibi proposuerit, qua aemulorum et invidorum maledicta ei in-

gesta refutaret eumque talem fuisse ostenderet, qui non tantum verbis, sed etiam factis philosophiam ad salutem hominum et civitatum conferre studeret.

Quamvis autem ex his satis appareat, Epistolas has, imprimis tres illas quas dixi, non esse habendas monumentum quo Platonis vita, mores, voluntas et ratio clare expressa sint, non tamen nullius momenti sunt putandae. Nam praeterquam quod praeclaris sententiis tanquam gemmis nitent et plurima continent imitationis vestigia e diversis Platonis dialogis expressa, sunt certe in vetustissimis numeranda monumentis quae de Platonis vita et rebus ad nos pervenerunt; conducunt ad dispersa deperditorum scriptorum indicia illustranda, suspecta et falsa a veris secernenda; denique ostendunt, quomodo jam proximo post Platonis mortem seculo illius doctrina et philosophandi ratio commentis deformata et mysteriorum nube involuta sit.

INDEX

VERBORUM DICTIONUM ET LOCORUM QUAE NOTANTUR VEL EXPLICANTUR. *)

*) Vocabula quibus Epistolarum paginae adscriptae sunt non tanguntur in dissertatione; vocabula * notata non exstant apud Platonem.

ERRATA.

Pag.	5	lin.	4	scriptum	γνωσιότητα	lege	γνησιότητα.
„	26	„	5	„	paginae	„	pagina.
„	44	„	23	„	ἦν	„	ἧν.
„	45	„	14	„	p. 253 A	„	p. 353 A.
„	67	„	ult.	„	cogitationem	„	cogitationnm.
„	71	„	6	„	δουλώσασιν	„	δουλωθεῖσιν.
„	93	„	26	„	unum alterum	„	alterum.
„	106	„	6	„	(Cf. p. 43)	„	(Cf. p. 55).
„	123	„	21	„	aula	„	aulam.
„	167	„	4	„	trajecterum	„	trajecturum.
„	198	„	ult.	„	ἀντολογίας	„	ἀντιλογίας.
„	215	„	10	„	§ 2	„	§ 3.

Leviora peccata corrigat benevolus lector.

THESES.



I.

Non assentior C. F. Hermanno, Epistolam quae Platonis nomine fertur VII^{am} appellanti „ein authentisches Document für Plato's aüssere und innere Geschichte." Gesch. u. Syst. der Platon. Philos. p. 424.

II.

Errant qui Platonicas Epistolas unicum vel primarium esse fontem opinantur ad temporum eius res cognoscendas, uti Grote, Hist. of Greece, vol. X, p. 435 not. XI, p. 130.

III.

Recte Socherus, Ueber Platons Schrift. p. 422: Die Briefe stehen in keinen ausdrücklichen Bezuge auf einander; sie wiedersprechen sich sogar einander öfters; aber ein gemeinschaftlicher Band umschlingt sie, die Rechtfertigung politisirender Philosophie, und zum Theil die Behauptung einer geheimen Weisheit."

IV.

Epistolarum Platonicarum VII^{um} statuo esse antiquissimam, ceteras plerasque ex hoc velut fonte emanasse.

V.

Immerito Hermannus de Platonis peregrinatione Megarensi sic judicat: „dieser Aufenthalt in Megara war es ganz vorzüglich, der Plato mit dem eigentlichen Stande der Griechische Speculation, und demgemäss mit dem wahren Bedürfnisse des philosophischen Geistes seiner Zeit näher bekannt machte." Vid. libr. laud. p. 46.

VI.

Assentior Morgensternio, de Platon. Rep. p. 73 sqq. Aristophanem in Ecclesiazusis risisse Platonis Πολιτείαν.

VII.

Errant qui τοὺς ἕνδεκα sub triginta tyrannis alium magistratum fuisse contendunt atque τοὺς ἕνδεκα sub libera republica.

VIII.

Assentior Groteo contra K. O. Muellerum contendenti, Spartae instituta non communem Doriensium, sed proprium Spartanorum morem et indolem referre. Hist. of Greec. II, p. 341.

IX.

Rejicienda est Schwegleri conjectura, Romae post reges exactos non statim duo consules creatos, sed ante hos imperium dictatori commissum esse opinanti. Röm. Gesch. II, p. 79.

X.

Nimis benigne de Romanis judicat Mommsen, quum contendit eos sincera voluntate et studio veterem libertatis statum Graecis reddidisse. Röm. Gesch. I, p. 706.

XI.

Legem Voconiam non, ut Zumptius putat, a. a. C. 174, sed 169 latam esse censeo. Zumpt. ad Verr. I, c. 41.

XII.

Legis Valeriae Horatiae „ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet" (Liv. III, 55) in causa dictatoris rationem habitam esse nego.

XIII.

Quamquam Satura Romana diversa est a fabula Satyrica Graecorum, fuit tamen inter ambo tam nominis quam indolis necessitudo.

XIV.

Vere Plato praecipuum philosophi munus in hoc positum dicit (Phaedr. p. 265 D E): *εἰς μίαν τ' ἰδέαν ξυνορῶντ' ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα*, et vicissim *κατ' εἴδη δύνασθαι διατέμνειν, κατ' ἄρθρα, ᾗ πέφυκεν.*

XV.

Quae in Aristotelis Metaphysicis I, 6, afferuntur Platonis placita, ea non ex *ἀγράφοις δόγμασι*, sed e Platonis dialogis effecta esse contendo.

XVI.

Imitatores nullo certius indicio dignoscuntur a genuino scriptore quam quod peccant nimio.

XVII.

In Aristotelis Metaphys. I, 6: *ἐξ ἐκείνων γὰρ κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνὸς τὰ εἴδη εἶναι τοὺς ἀριθμούς*, verba *τοὺς ἀριθμοὺς* ab interpolatore addita esse censeo.

XVIII.

In Platonis Phaedro, p. 177 D: *ὡς εἴτε Λυσίας ἤ τις ἄλλος πώποτ' ἔγραψεν ἢ γράψει ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ, νόμους τιθεὶς, ξύγγραμμα πολιτικὸν γράφων, καὶ μεγάλην τιν' ἐν αὐτῷ βεβαιότητα ἡγούμενος κτἑ.*, verba *νόμους τιθεὶς, ξύγγραμμα πολιτικὸν γράφων* redolent interpolatorem.

XIX.

In Sophoclis Antigona versus 676—679:

σὺ δ' οὐ πέφυκας πάντα προσκοπεῖν, ὅσα
λέγει τις ἢ πράσσει τις ἢ ψέγειν ἔχει·
τὸ γὰρ σὸν ὄμμα δεινὸν ἀνδρὶ δημότῃ
λόγοις τοιούτοις οἷς σὺ μὴ τέρψει κλύων,

sic transponendos esse censeo:

ὅσα
λέγει τις ἢ πράσσει τις ἢ ψέγειν ἔχει
λόγοις τοιούτοις οἷς σὺ μὴ τέρψει κλύων·
τὸ γὰρ σὸν ὄμμα δεινὸν ἀνδρὶ δημότῃ.

XX.

In Sophoclis Oedipo Coloneo, vs. 409:

κρατὶ δ' ἡλιοστερὴς
κυνῆ πρόσωπα Θεσσαλίς νιν ἀμπέχει,

pro ἡλιοστερής legendum conjicio ἡλιοστεγής, *galea solem arcens.*

XXI.

Severum de M. Aemilio Scauro judicium Sallustii in Bell. Jug. c. 15, non impedit quominus jure Scauros inter principes suae aetatis viros nominare licuerit Horatio, Carm. I, 12, vs. 37.

XXII.

In Horatii Carm. I, 37, vs. 24:

nec latentes
Classe cita *reparavit* oras.

et sensus et lingua suadent legi *properavit.*

XXIII.

In Sallustii Bell. Jug. cap. 3, § 2: „Nam vi quidem regere patriam aut parentes — importunum," verbo *parentes* non, ut multi interpretes volunt, *subditos*, sed *patrem* et *matrem* intelligi oportere contendo.

XXIV.

In Cicerone de Finn. I, c. 12, § 42: „Quoniam autem id est vel summum vel ultimum vel extremum bonorum (quod Graeci τέλος nominant)" cett. vocabulum *bonorum* male additum est.





